15°

Indice

"1.⁺ Norma. Statuti della terra di Norma nuovamente compo-
sti per commissione delli Sri Caetani 1595.
2.⁺ Nepi Liber Statutorum Nepesinae Civitatis 1550 con addi-
zioni del 1570, 1588.
3.⁺ Nepi. Capitoli del danno dato del 1727.
4. Nepi. Indice di lettere, Brevi e documenti diversi con
indicazione de Cardinalibus Nepesinis ed altre memorie
5. Nocera Umbra Capitoli sul danno dato del 1801.
6.⁺ Orte. Statutum Illmae Civitatis Hortanae in V Lib.
del 1584.
7.⁺ Olevano. Statuti di Olevano tradotti dal codice in pergame-
na del 1364.
"8.⁺ Onano. Estratto di Nº 130 capitoli dello Statuto di Ona-
no su i danni manuali e del bestiame del 1655
(MSS)
9.⁺ Otricoli. Statuta terrae Otriculi de novo confecta et in me-
lius reformata per Fulvium Corneum Epum Alban.
S. R. E. Card. Perusinum eiusdem terrae Gubernator. con-
firmata die III April. 1576.

Ir

1631

Otricoli

Iv

IN DEI NOMINE AMEN

IN praesenti Volumine Statuta Terrae Ocriculi de novo, et Comunitatem, et Homines Terrae praefatae Confecta, et in melius reformata respective, ac per Illustrissimum, et Revm̃ D. Fulvium Corneum Epum̃ Albanen S. R. E. Card.lem Perusinum ejusdem Terrae Ocricoli perpetuum Sub.rem confirmata, et approbata sub die ultima Aprilis Anni Millesimi Quingentesimi septuagesimi sexti tempore Pontificatus SSmi in Christo Patris et D. N. D Gregorii divina providentia P. P. decimii tertij. Quae sunt disposita in Quatuor Libros. In quorum Principio, Medio, et Fine adsit Omnipotens Dominus DEUS Noster Illuminator Justitiae, bonorumque operum Adiutor, et Fautor

Liber Primus

De modo et Ordine Seruando in Confectione Bussolæ DD. Priorum et aliorum Officialium Terræ Ocricoli

Cap. I.

Inueteratam in Terra Ocricoli Consuetudinem in Confectione Bussole Officialium eiusdem Terræ seruari solitam sequentes, et illam innovantes, et in melius reformare cupientes, statuimus et ordinamus quod Confectio Bussule DD. Priorum et aliorum Officialium dicte Terre fieri debeat de Licentia Illmi et Rmi D. Fuluij Cornei Epi Albanen. Cardinalis Perusini nuncupati nunc dicte Terre perpetui Gubernatoris vel eius pro tempore Illmor. et Rmor. Successorum. Et in huiusmodi confectione seu refectione interuenire debeant infrascripte Persone videlicet D. Auditor eiusdem Illmi D. Gubernatoris uel alter ab eodem Illmo D. deputandus; Item Priores qui tunc temporis in Prioratus Officio reperientur nisi ad hoc minus idonei iudicati fuerint à Concilio Speciali quo Casu idem Concilium alios Loco Ipsorum ad illum actum eligere possit, ac etiam alij quatuor Viri Seniores et magis idonei à prefatis DD. Auditore et Prioribus uel alijs in Locum Ipsorum ut supra deputatis eligendi et approbandi. Qui omnes simul congregati, et remotis ab eisdem

omni et quocumque odio, et humana affectione, ac etiam vinculo ab eis prestiti Iuramenti teneantur et debeant diligenter perquirere et investigare sigillatim de uniuscuiusque imbussolandi vite honestate ac moribus, et qui vere et absque aliqua collusione vel favore reperti fuerint digni et idonei ponantur in Bussulo et imbussolentur modo et forma solita, vel alias ad Ipsorum Imbussolatorum arbitrium. Qui vero reperti fuerint aliqua infamia notati et per tres idoneos Testes ex dictorum Imbussolatorum Officio summarie et extraiudicialiter, sed non sine redactione in scriptis examinatos, convicti, non imbussolentur, quinimo, si soliti fuerint antea imbussolari nihilominus tunc repellantur donec et quousque ad Laudabiliorem Vitam conversi fuerint et in tali Vita Laudabili per triennium a die repulse computandum perseveraverint et qui ut supra reperti fuerint talibus Officiis digni et idonei describantur omnes et pallule sigillatim prout moris est includantur et ponantur in Bussula que bene clausa portetur ad Ecclesiam Sancte Marie dicte Terre, et reponatur in Sacrestia eiusdem Ecclesie, et cum pro tempore necesse fuerit illos extrahere accipiatur dicta Bussola in presentia Archipresbiteri et duorum Canonicorum dicte Ecclesie et DD. Potestatis et Priorum veterum et ponatur super scamno Ligneo ante Altare maius ex qua Cancellarius pro tempore dicte Comunitatis de Ordine et Commissione prefatorum accipiat Pallulas continentes Priores et

et una ex illis postea sorte extrahatur, et qui intus leguntur et reperiuntur legantur et declarentur Priores ad tres Menses futuros tantum duraturos, et idem modus in omnibus et per omnia servetur in imbussulatione et extractione aliorum Officialium dicte Terre, et si secus factum fuerit, imbussulatio, et omnia inde secuta sint nullius roboris vel momenti

De Iuramento D.D. Priorum
Cap. ij.

Item statuimus et ordinamus quod prefati Viri electi et pro tempore eligendi et extrahendi respective ad Officium Prioratus iuxta Stylum et consuetudinem dicte Terre Ocricoli in ingressu eorum Officij ante omnia iurare debeant et teneantur in manibus D. Pretoris et Priorum Veterum tactis scripturis se futuros fideles SSmo D. Nro Gregorio Divina Providentia P.P. XIII. et eius pro tempore Sanctissimis Successoribus et Sedi Apostolice et Illmo et Rmo D. Fulvio Corneo Cardinali dignissimo de Perusia nuncupat. perpetuo Gubernatori eiusdem Terre Ocricoli, et eius pro tempore Illmis et Rmis Successoribus, atque eorum officium legaliter et bona fide gerent prout etiam fideliter curabunt, quod res dignitas bona iurisdictiones et negotia omnia prefate Communitatis conservabuntur et demum utilia facient pro ipsa Communitate et inutilia pretermittent. Item quod iuxta rei exigentiam et qualitatem convocari facient Concilium Generale vel Speciale, et quod sine illis vel altero eorum

nihil

nihil de re ipsius Communitatis disponent. Item quod Viduas, Pupillos, et Locapia et alias miserabiles Personas indefensas adversus Officialium dictę Terrę et aliorum Oppressiones tuebuntur, atque animose defendent. Item quod res introitus, et bona quęcumque Communitatis sine prefatis Conciliis vel eorum altero nullomodo locabunt, donabunt, vel vendent, uel quovis modo alienabunt uel de eis uel eorum quolibet remissionem vel gratiam alicui facient, et si Iuramentum huiusmodi non servaverint et illi in aliquo contravenerint incidant in pęnam Viginti quinque ducatorum necnon damna et interesse pro Communitate passa soluere et emendare teneatur et amplius non admittantur ad aliquod Officium Comunitatis et quidquid secus factum fuerit irritum sit et inane, et per eorum successores infringi atque rescindi possit, et ad debitam formam reduci

De Prohibitis Eligi uel assumi ad aliquod Officium Terræ Ocricoli Cap. iij.

Considerantes quod non omnes passim ad officia dictę Terrę eligi vel assumi debent sed illę tantum Personę quę aliquo enormi crimine uel infamia notatę non sunt, et propterea statuimus et ordinamus quod in futurum nullus Bastardus uel Spurius possit eligi uel assumi ad aliquod Officium seu dignitatem Ocricolani Populi, neque Debitores

quoquo=

quoquomodo obligati dicte Communitati Communis dicte Terre, nisi prius satisfecerint Communitati nec is qui cessit bonis aut terminum quinquennalem habuerit nec Homicidia nec Diffidatus de aliquo crimine publico et in quolibet premissorum casuum si secus factum fuerit, electio, assumptio, imbussolatio vel extractio nulla sit ipso Iure.

De Habitu et Residentia D.D. Priorum
Cap. IIII.

Ut dignitas D.D. Priorum in congruo honore conservetur Statuimus, et ordinamus quod illi quatuor Viri qui pro tempore erunt extracti in Priores durante eorum officio debeant incedere per Terram et Suburbium in diebus Festis cum Palijs nigris et longis sumptibus dicte Communitatis conficiendis, nisi hoc in damnum Communitatis nimis redundare visum fuerit et quam sepissime fieri poterit associati, et teneantur singulis diebus festis comitari Potestatem ad Missarum solemnia accedere volentem more solito, prout etiam singulis diebus Dominicis teneantur in eorum Palatio facere residentiam ut querelas et oppressiones Pauperum et aliarum Personarum adversus Potestatem et alios Officiales vel adversus alios Cives debite, et iuste querelantes audire possint et omnia alia gesta et negotia Communitatis facilius tractare et audire et contrafacientes incidant in penam unius Iulij pro quolibet die Dominico quo defecerint et pro singulo Priore contrafaciente et Potestas pro tempore teneatur omnia prefata ad debitam obser=

observantiam modis omnibus reducere, et contrafacientes irremissibiliter supradicta pena punire nisi fuerint dicti Priores vel ipsorum aliquis iusta de causa impediti, de quo stetur attestationi cum Iuramento unius Testis, et ipsius se excusantis. Et si Potestas in prefatis fuerit negligens, vel remissus, incidat in penam quinque Iuliorum pro qualibet Vice de suo salario retinen.

De Officio D.D. Priorum

Cap. VIII

Ad Officium D.D. Priorum multa spectant et pertinent que omni eorum conatu adimplere tenentur et principaliter curam precipuam semper habere pro totius Terre statu ac illius totius Territorij tutela et defensione et pro Ciuium quiete omnia bona publica illesa, et indiminuta custodire, et contra omnes Occupatores vel Usurpatores bonorum et Iurium Communitatis, et Ecclesiarum acerrime insurgere et inquirere, et ut severissime in illos animadvertatur insistere Sacrariorum omnium et Reliquiarum Sanctorum clavem necnon claves Capse in qua reconditum est Caput Sancti Victoris totius Terre Advocati, cum alijs Sanctorum Reliquijs in Ecclesia Sancte Marie existentibus, apud se, seu alios Deputatos, ut moris est, retinere et retineri facere respective et ut omnes dicte Terre Laudabiles consuetudines, Constitutiones, Decreta, et Statuta approbata perpetuo custodiantur et per omnes Potestates, et alios protempore Iusdicentes in predicta Terra serventur ac Iuramentum solemne a Potestate in ingressu sui Officij et ab eius Officialibus super eorum officij observatio-

observationẽ recipere et prestari facere teneantur, et ut Emptores et alij Contrahentes cum Communitate optimas et idoneas Fideiussiones recipiant et prestari faciant et omnia à prefatis promissa ut diligenter et ad unguem observentur insistere et minutim et diligenter revidere omnes et quoscumq; Introitus et Exitus Communitatis et Computa eiusdem Tabellas et alios dicte Comunitatis Introitus temporibus debitis sublastare, et Personis fide dignis et facultatibus idoneis et plus offerentibus deliberare vendere, et in omnibus dicte Communitatis rationibus Annone Frumenti, Carnium, et omnium ad victum necessariorũ superesse, pretiaq; illis convenientia imponere Murorũ reficiendorum, et omnium Edificiorum publicorum solicitam Curam et diligentiam ut reficiantur vel reparentur, semper habere Claves Portarum dicte Terre penes se retinere et nemini illas concedere nisi probo, et fidedigno Officiali ad id deputato, et quod aliquis nequeat per alium locum quam per portas intrare et exire. Item ut Tabellarij et alij Officiales dicte Terre plusquam eis debitum est et taxatum non exigant à quibusvis Personis et contrafacientes plectere et omnia et singula alia facere, exercere, exequi, vel exequi facere que in alijs Capitulis presentis Voluminis Statutorum continentur, et si in premissis, vel eorum quolibet fuerint negligentes, vel remissi, incidant in penam quinque Juliorum pro quolibet contrafaciente, et vice qualibet. Et nihilominus ad damna et interesse per Communitatem passa in quolibet premissorum casuum per Potestatem condemnentur, et amplius ad aliquod Officium Communitatis non admittantur, et Priores habere debeant illi dumtaxat qui eorum Officio inservient Sextum Unum pro quolibet de pecunijs dicte Communitatis &

De Eodem

Cap. VI.

Vt Antiquorum et Maiorum nostrorum de=
uotionem sequamur Statuimus et ordinamus, quod D.D.
Priores pro tempore existentes teneantur et debeant
dare et offerre in Festo Sancti Fulgentij Ecclesie Ca=
thedrali dicti loci Cereos duos ponderis octo librarum
in totum quolibet anno pro antiquo ritu honore et reue=
rentia prefati S. Fulgentij Protectoris et Defensoris
eiusdem Terre.

Item in Festo Sancti Victoris pariter Aduocati
et Protectoris dicte Terre Cereos duos ponderis quatu=
or librarum similiter teneantur offerre eidem Ecclesie
Cathedrali in honorem dicti Sancti quolibet anno.

Item similiter Priores pro tempore existentes tenean=
tur offerre eidem Ecclesie inter Missarum Solemnia
in Festo Sanctæ Iulianæ sub XVI February quo=
libet anno libram unam Candellarum prout solitum fuit
per nonnullos annos.

In Festo Sancti Joannis Baptistæ libram unam
candelarum Cere ut supra.

Item in Festo Sancti Laurentij libram unam simili=
ter et eidem Ecclesie, pro quibus omnibus oblationi=
bus faciant sibi pecunias publicas ab eo ad quem
spectat subministrari.

Quod Priores teneantur tempore debito uen=
dere Introitus Communitatis.

Cap. VII.

Item Statuimus et ordinamus quod ad Priores
pro=

pro tempore in Prioratus officio existentes vigore et onere sui officij spectet et pertineat tempore debito omnes et singulos introitus redditus et proventus Comunitatis Terre Ocricoli qui de stylo et consuetudine dicte Terre vendi et ad aliquod tempus prefinitum locari soliti sunt mittere ad bandum per quindecim dies ad minus antequa veniat dies venditionis seu locationis, et successive die solito et convenientiori vendere, et respective locare plus et meliores conditiones pro Communitate offerentibus et ab Emptoribus seu Conductoribus prefatorum rerum bonorum, et Introituum quorumcumq. dicte Terre idoneam fideiussionem seu fideiussiones incontinenti exigere et dari facere, et curare ut prefati Emptores et Conductores et eorum Fideiussores arctius quam fieri potest obligentur pro observantia omnium Capitulorum et pactorum cum quibus prefata emerint, vel conduxerint alias Priores prefati teneantur de eorum proprijs facultatibus ad indemnitatem adeout Communitas et eius Camera propter dolum vel negligentiam Priorum prefatorum in nihilo lesa et defraudata remaneat, et insuper Priores qui reperientur in Prioratus officium in Mense Augusti teneantur et obligati sint per totum Mensem Augusti condui facere ab Urbe ad Terram Ocricoli Sal ordinarium sumptibus et expensis Comunitatis sub pena unius Ducati pro quolibet Priore nisi urgens causa suberit propter quam dictum Sal non potuerit condui.

De Volentibus emere uel conducere Introitus Comunitatis

Cap. VIIJ.

QUIA inter Introitus prefatos emere affectantes, quandoq.

quandoque oriri solet controuersia; Ideo ut omnia debito mo=
do quantum fieri poterit peragantur. Statuimus et ordinamus
quod quicumque voluerit aliquod prefatorum emere, tene=
atur iuxta Stylum et consuetudinem Terre Ocricoli fa=
cere oblationem in scriptis et ut vulgo dicitur per bolletti=
no, in quo distincte, et clare ponantur Oblatio, pactaque
et Conditiones, cum quibus emere, vel conducere intendit
et bene adnotentur Verba oblationis, et aliorum absque
aliqua dubietate. Et quia Priores ut plurimum quando
sunt in actu Venditionum de prefatis postquam receperint
nonnullas oblationes solent apponere aliquod lucrum
lucrandum ab alijs futuris Oblatoribus ut melior con=
ditio Communitatis efficiatur, cuius Spe alliciti aliqui offe=
runt maiorem quantitatem quam obtulerint alij. Propterea
statuimus quod veniens aliquis alius Oblator qui offerat
maiorem quantitatem quam alij, et subnectit hec et si=
milia Verba vulgariter loquendo = Netti per la Comunità
quo casu ne oriatur aliqua controversia ad quem pertineat
solvere Oblatoribus qui aliquid lucrati fuerint in
oblationibus; Statuimus et similiter ordinamus quod
in futurum quando talis casus evenerit teneatur, et
debeat talis Oblator solvere totam integram summam
oblatam Comunitati. Et deinde lucra prefatis Oblato=
ribus non obstantibus quibuscumque cavillationibus.
Sed si Oblator dictorum Introituum fuerit Debitor
Comunitatis, oblationes sue sint nulle et nullomodo
transactentur, et quin prius satisfaciat Comunitati, et
si Priores contrafecerint incidant in penam duorum
Scutorum pro quolibet et damnorum et interesse à
Comunitate propterea passorum et nihilominus locatio
seu Transactio sit nulla et invalida. Item quod eveni=
ente casu quo plures fuerint eiusdem quantitatis Obla=
tores, eius qui prius obtulerit bullectinum ut supra
conditio sit potior, et alijs Oblatoribus preferatur

De Oblatoribus minorem Summam quam alij obtulerint Offerentibus Cap. IX.

Item Statuimus et ordinamus, quod si quis obtulerit minus pretium, vel minorem summam pro introitibus uel Iuribus prefatis quam obtulerint alij Oblatores vel alio modo scienter videatur talis Oblator Comunitatem Ipsam et Priores deludere, solvat pro pena si erit Emptor Gabelle ducatos decem aureos ipsi Comunitati; Si vero Macelli ducatos sex aureos si Panacterie octo aureos si Pizzicarie ducatos quinque et Priores qui in prefatas penas exigendo negligentes fuerint, teneantur Ipsi ad eamdem penam, et tales Comunitatem deludentes seu alias decipientes, omni casu ad damna et interesse eiusdem condemnentur

De Nolentibus acceptare Officia Cap. X.

Quilibet de Terra Ocricoli qui fuerit ab Imbussulatoribus ut supra dictum fuit approbatus, et ad aliquot officiorum dicte Terre electus vel Imbussolatus, et extractus ut supra, debeat illud Officium ad quod fuerit electus et taliter deputatus voluntarie acceptare, et cum fide et legalitate exercere fideliter pro toto eo tempore quo extiterit deputatus, et si ipsorum aliquis contrafecerit quilibet contraveniens vel recusans nisi aliqua iusta causa à Veteribus Prioribus approbanda fuerit impeditus pro qualibet contraventione et refutatione Priores videlicet Camerarius et Syndicus solvere teneantur pro prima vice et quolibet ducatum unum, pro Secunda duos pro tertia autem tres, et insuper pro tertia Vice deficientes, seu recusantes, non possint amplius admitti ad Offi-

Officium aliquod dicte Terre, alij vero Officiales qui ut supra recusaverint incidant in penam pro prima vice Juliorum trium, pro secunda sex, pro tertia novem et similiter post tertiam recusationem non possint amplius ad aliqua Officia dicte Terre eligi, et in locum deficientium in omnibus prefatis casibus extrahi debeant alij ad recusantium Officia respective exercenda

Quibus ex causis Priores durante eorum officio ualeant conueniri

Cap. XI.

Priores durante eorum Officio non possint nec aliquis eorum possit pro causa Civili trahi in Iudicium nisi propter debita publica, et pro quibus Comunitati vel eius Camere adstricti vel quovis modo obligati reperiantur, et pro debitis pro quibus similiter obligati sunt alicui Vidue, Pupillo, vel miserabili Persone vel Locis Pijs et nisi aliquis eorum durante dicto tempore alium convenire voluerit. Nam et tunc pariter ille reconveniri valeat indistincte, in causis vero criminalibus ubi venerit pro delicto tantum imponenda pena pecuniaria, non excedente summam Viginti ducatorum non procedatur contra aliquem ex illis, et similiter in penis damnorum datorum sed retardetur usque ad tempus finiti Officij, possit tamen pro quacumque summa contra eos formari inquisitio, et dari accusatio et procedi ad estimationem damni seu Interesse nec similiter Ipsi vel eorum aliquis dicto tempore durante valeat aliquem in prefatis causis convenire et astringi facere ad solutionem pene, sed eis sufficiat eorum intentionem probasse. Executio vero retardetur usque

usque quo finierit Officium si conventus vel accusatus possideat bona stabilia equivalentia, et contrafacientes in quolibet casuum prefatorum incidat in penam duorum ducatorum pro qualibet vice et contraventione

Quod Officiales debeant stare ad Syndicatum Cap. XII.

Item Statuimus et ordinamus quod tam Priores quam alij omnes Officiales Terre Ocricoli stare, et sistere debeant personaliter tribus diebus coram Iudicibus Syndicatoribus deputandis ad ratiocinia, et coram Ipsis dicti Officiales teneantur de gestis et administratis factis durante officio reddere rationem et unicuique de Seipsis conquerenti respondere, et omnibus satisfacere quibus de iure tenentur, de quibus omnibus dicti Syndicatores summarie cognoscant, et infra quinque dies causam decidant de plano sine strepitu et figura Iudicij non obstantibus ferijs nisi in honorem Dei et non obstantibus solemnitatibus Iuris dumodo veritas discutiatur ad quam solumodo respectus, et consideratio per Iudices habeatur qui Syndicatores Officialium prefatorum imbussolentur, et non extrahantur ante ultimum diem exitus Officij prefatorum Officialium &c

De Personis habendis et eligendis pro Ocricolanis Cap. XIIJ.

Vt Terra nostra habitatoribus repleri possit. Statuimus et ordinamus quod illi Forenses qui in Terra Ocricoli per decennium continuum habita=

habitaverint, eo ipso sint et habeantur pro Ocricola-
nis, alij autem qui minori tempore moram traxerint pos-
sint per D. D. Priores simul cum Concilio Speciali aggre-
gari consortio Ocricolanorum. Forenses autem qui non
habitaverint aliquo tempore, nullo pacto, nisi per D.D.
Priores simul cum Concilio Generali aggregari pos-
sint et omnes predicti possint imbussolari arbitrio Im-
bussolatorum et in omni casu fiat diligens inquisitio
de Vita et moribus Aggregandorum. Infames nullo
pacto recipiantur, et alias aggregatio sit nulla ipso Iure.

De Regulatoribus et eorum Officio

Cap. XIIII.

Attendentes quod ea quæ plurimorum Iudicio et re-
uisione subiecta sunt accuratius et melius posse tracta-
ri creduntur. Statuimus quod tempore quo fit Bussula
D. D. Priorum et aliorum Officialium imbussolentur
Seniores et graviores Viri Ocricolani et fiant Pallule
minores continentes duos Viros pro qualibet sub nomi-
ne Regulatorum, et incontinenti post Extractos Prio-
res extrahatur una ex Pallulis predictis et qui in ea
inventi fuerint teneantur Officium Regulatorum per
annum integrum bene sollicite, et legaliter exercere
remotis ab eis omni odio amore, prece, precio, vel affe-
ctione, ad quorum Officium in primis spectet diligen-
ter animadvertere ne Introitus quicumque nec bona
Communis cuiuscumque generis sint, aliquo modo dissi-

dissipentur et in aliquem malum usum consumantur et in omnibus etiam computorum revisionibus de rebus Communis faciendis vel revidendis intervenire et diligenter revidere et quod nulle solutiones de aliqua pecuniarum summa et bonorum Communis fieri debeant per quecumque mandata seu ut vulgo dicitur bullettas absque subscriptione D.D. Regulatorum. Et si computa non admittenda admiserint et non signanda, vel subscribenda fraudolenter et dolose signaverint et alia que de stylo atque consuetudine ab eis facienda simili dolo et fraude pretermiserint, teneantur in primis ad omnia damna per Comunitatem eorum de causa passa tempore eorum Officij, et insuper penam Infamie, ac decem ducatorum ipso facto incurrant et nihilominus gesta, facta et per eos appropata in damnum Comunitatis sint nulla et invalida et nullam dignam excusationem tribuant et prefati Regulatores habeant pro eorum Salario in totum Iulios duodecim pro quolibet de pecunijs Communitatis

De Camerario et eius Officio et Iuramento

Cap. XV.

Quoniam Comunitatis multum interest ut eius redditus et Proventus per unius probi diligentis Viri manus exigantur et describantur et particularis cura habeatur. Propterea statuimus, et ordinamus, quod in principio cuiuslibet anni extrahatur unus Officialis qui Camerarius nuncupe=

nuncupetur cuius Officium duret per annum tantum et non ultra, et eius bona ad valorem tricentorum ducatorum ad minus ascedant, et in principio eius Officij obliget se in ampliori forma Camere Apostolice cum solitis clausolis iuxta stylum Romane Curie extenden.s omnia et singula in presenti Capitulo contenta observare, ac Iuret in Manibus DD. Priorum tactis scripturis quod Officium sibi commissum geret et administrabit legaliter et bona fide, et omnia faciet que utilitatem Comunitatis et Camere eiusdem respiciunt et ad eam spectare crediderit, Introitus dicte Comunitatis exiget et tantum Introitus prefatos quam exitus Camere dicte Comunitatis scribet et adnotabit seriatim in libro ad id confecto, et in singulis duobus mensibus DD. Prioribus et Regulatoribus de omnibus rationem reddet et quidquid ultra expensas superit fideliter eisdem notificabit, et eius custodiam geret donec eius Successori illud, et Officium resignabit: Item quod totam pecuniam Comunitatis et Camere eiusdem expendenda et solvenda, expendet et solvet per Apodixas et ut vulgo dicitur per bullectam per omnes Priores et Regulatores pro tempore in Officio existentes nominatim subscriptam et Sigillo Comunitatis sigillatam, qui Camerarius predictum Iuramentum ad unguem observare teneatur. Postea finito anno eius Officij debeat Prioribus qui tunc temporis erunt in Officio reddere rationem de omnibus ab eo in toto tempore eius officij gestis et administratis. Et si in aliqua etiam minima quantitate pecuniarum vel rerum Comunis reperiatur fraudem commisisse, et Comunitatem in aliquo damnificasse teneatur omne et totum quicquid illud fuerit, vel eius valorem ante omnia

emend=

emendare et restituere unacum omnibus damnis et Interesse per Comunitatem ea de causa passis. Et nihilominus incidat ipso facto in penam Infamie et Vigintiquinque scutorum auri nec de cetero aliquo unquam tempore ad aliquod dicte Terre Officium valeat admitti qui Camerarius habere debeat pro eius Salario Julios xxx: de pecunijs Comunitatis

De Cancellario Comunitatis Cap. XVI.

Rerum experientia Populos docuit ut propter Scripturarum et monumentorum Comunitatis manutentionem et diuturnam conservationem necessarius visus fuit Cancellarius illarum custos assiduus. Quapropter antiquam circa id observantiam sequentes, Statuimus et ordinamus ut Priores Terre Ocricoli pro tempore existentes de mandato et ordine Concilij Generalis aliquem fidum et expertum Virum forensem et non Conterraneum nisi necessitas contrarium exposcat in Cancellarium eligere et creare debeant cui committatur cura et custodia totius Cancellarie et per Inventarium omnia consignanda describantur et consignentur cum arctissima obligatione facta per Ipsum de reassignando et reddendo de omnibus Sibi consignatis bonum computum D.D. Prioribus pro tempore existentibus finito eius Officio que omnia sibi assignata unacum omnibus Scripturis et libris continentibus gesta et facta in toto tempore quo in prefato Officio ipse permanserit integra et indeminuta resignare teneatur sub pena quinque Scutorum et alijs penis dictorum Priorum et Potestatis arbitrio imponendis

Liber
De Officio Cancellary
Cap. xvij.

Ad Cancellarij Officium deputatus teneatur et debeat in libris DD. Priorum omnia et singula Concilia tam generalia quam specialia, et ordinationes et reformationes factas per Concilium generale, vel speciale et provisiones factas per DD. Priores Comunitatis annotare et fideliter registrare de die in diem necnon omnia et singula banna fienda per Terram Vericoli de ordinatione et commissione DD. Priorum et quecumque alia ad Communitatem et eius Cameram pertinentia.

Item teneatur et debeat registrare in Libris DD. Priorum omnes et singulas solutiones, et pagamenta facta, et pro tempore fienda per quoscumque Gabellarios, vel alios quoscumque Comunitatis et Camere eiusdem Debitores et Affictuarios.

Item teneatur annotare et registrare in prefatis libris omnes et singulas Massaritias et Fornimenta in Palatio DD. Priorum et alijs Locis publicis existentia necnon alia publicum interesse concernentia.

Item simili modo teneatur et debeat annotare omnes et singulas Causas propter quas Quis ab officio aliquo remotus fuerit, vel indignus iudicatus.

Item teneatur curam suscipere omnium et singulorum librorum et Scripturarum Cancellarie, et ad officium DD. Priorum et aliorum Offi=

Officialium pertinentium et operam dare ut omnia et singula Originalia Privilegiorum et indultorum et quorumvis rescriptorum et Instrumentorum et aliarum Scripturarum respicientia commodum et utilitatem vel honorem Comunitatis, recludantur in Area ad id facienda, et consueta et diligenter in ea custodiantur. Et si in quocumque predictorum Casuum fuerit negligens vel remissus teneatur ad omnia damna et interesse per Comunitatem propterea passa et cogatur reperire amissa ab eo et non adimpleta adimplere, et pro premissorum omnium observatione obliget se eiusque heredes et bona quecumque in ampliori forma Camere Apostolice cum solitis clausolis &c

De Iuramento Cancellarij
Cap. XVIII.

Item Statuimus et Ordinamus ut Cancellarius pro tempore eligendus ut supra in initio eius Officij teneatur iurare in manibus DD. Priorum quod Cancellarij Officium sibi commissum Legaliter et bona fide geret, et administrabit et quod Scripturas et monumenta quecumque eiusdem Comunitatis Camere diligenter custodiet et accurate et seriatim registrabit que in precedenti Capitulo precipiuntur registrari et annotari et non sinet postea illas ab aliquo occupari nec sub quovis pretextu vel quesito Colore retineri, sed in Cancellaria sub Clavibus in

in Locis consuetis et tempore debito recludet et conservabit, et tempore similiter debito restituet omnia per eum habita atque ei consignata, et ab eo annotata. Item quod Arcana et Secreta quecumque Comunitatis in quovis Concilio publico vel privato tractata alicui non denunciabit vel significabit sub pena inprimis de reficiendo omnia damna et interesse propterea per Comunitatem passa et decem scutorum pro vice qualibet necnon carcerationis et aliis penis arbitrio D. Potestatis et DD. Priorum imponendis.

De Ædilibus seu Magistris Viarum
Cap. XIX.

Quoniam reipsa comperimus quod nulla vel parva Maioribus nostris cura fuit Ædificiorum tam Terre Ocricoli, quam eius Suburbij et Territorij respective, et propterea multe Domus et Edificia in eadem Terra et Suburbio collapse et dirute ac in Casalenas converse et nonnulle Vie inaccessibiles facte prospiciuntur, quibus malis quantum fieri poterit mederi querentes et decorem et ornatum Edificiorum et Viarum in Terra Ocricoli Suburbio et in toto eiusdem Territorio similiter quantum fieri poterit inducere cupientes. Statu-

Statuimus et ordinamus quod in quolibet Anni principio creentur duo Magistri Viarum Viri graves, et quantum fieri poterit experti, et in Fabricis et Vijs aliquantulum pratici, quorum Nomina imbussolentur tempore confectionis Bussole secundum modum et formam aliorum Officialium et quod ipsum Officium duret tantummodo per annum ad plus, qui stent ad Syndicatum finito eorum Officio, prout alij Officiales Terre Ocricoli et ipsum Officium teneantur facere et exercere secundum modum et formam infrascriptorum Capitulorum non obstante quovis alio Statuto vel Capitulo in presenti Statutorum Volumine comprehenso

De Officio Magistrorum Viarum

Cap. XX.

Ad Officium Magistrorum Viarum spectet et pertineat precipuam Curam semper habere, ut Vie tam Romana quam Communales sive publice et Vicinales in sua bonitate, et condecenti latitudine conserventur et quatenus opus sit amplientur, queque ab aliquo nullo sub pretextu obturentur vel super illas Pontes vel arcus fabricentur quos omnino fieri prohibemus, Statuimus itaque ut Via Romana debeat esse latitudinis pedum XVIII ad minus, Vicinales pedum Sex, et communales seu publice pedum X, et quod refectio et reaptatio Vie Romane et Communalium, seu publica=

publicarum per quas itur ad circumvicinas Civitates seu Castra, et Terras spectet, et pertineat omni tempore ad Comunitatem et Homines dicte Terre Ocricoli nisi Vie prefate probentur devastate culpa alicuius Possidentis Predium prope dictas Vias, vel alicuius alterius Persone, quo casu teneantur illi, vel ille Persone ad refectionem ad quam possint compelli omnibus Iuribus et Facti remedijs; Refectio autem Viarum Vicinalium spectet ad Vicinos pro modo Latitudinis eorum prediorum, et singulo anno debeant dicti Vicini de Mense Maij dictas Vias sepibus, et alijs impedimentis purgare ut vulgo dicitur nettare et sterpare con La Ronca ut commode Vicini possint per eas cum Salmis et alijs necessarijs transire sub pena unius Caroleni pro qualibet Vice qua in hoc defecerint, et nihilominus ad illas purgandum per Magistros predictos compellantur.

Item ad maiorem predictarum omnium Viarum conservationem volumus et statuimus quod Unusquisque sive Ocricolanus sive Forensis habens Predia seu Agros in Confinibus, et prope Viam Romanam, seu Vias publicas et Communales seu Vicinales, teneatur intra duos Menses à die publicationis presentis Statuti numerandos in suis Predijs sive Agris, et secus ipsam Viam facere foveas seu formales pro modo Longitudinis ipsius Predij seu Agri et Latitudinis et altitudinis duorum pedum et ita eas aptare ut aqua pluvia vel alias scaturiens in Vijs predictis defluat in dictas foveas, seu formulas, et non sit nocumento ipsis

ipsis Vijs illasque denique expurgare et manutenere sub dictis Latitudine, et altitudine sub pęna unius Ducati pro qualibet vice quo in Faciendo, vel expurgando contrafactum fuerit quorum omnium exequtio pertineat ad ipsos Magistros Viarum qui etiam curare debeant sub pęnis eorum arbitrio imponendis ut foveę prędictę sint ita confectę et insimul iunctę ut aqua possit facile de una in alteram progredi usquequo in aliquem publicum fossatum seu Torrentem exitum habeat, et si Magistri prefati in pręmissis erunt negligentes omnis eorum Iurisdictio censeatur ipso facto in Potestatem translata qui predicta omnia inviolabiliter observari mandabit

De Casalenis Reaptandis et Operiendis
Cap XXI.

Item Statuimus et ordinamus ut Magistri Viarum pro tempore existentes teneantur denuntiari facere Dominis Casalenorum vel Domorum discopertarum tam in Terra prefata Ocricoli quam in eius Suburbiis existentium ut debeant illas intra certum tempus eorum arbitrio declarandum reaptare et operire, cum Cominatione quod si id non fecerint et reperientur aliqui Emptores illarum Ipsi Magistri vendent eorum nomine et alienabunt, quo Casu possint prefati Viarum Magistri nolentibus, et cessantibus eorum Dominis intra tempus eis statutum reaptare et operire vel reaptari et operiri facere alijs Vicinis vel Ocricolanis, vel his non repertis Fo-

Forensibus illas emere volentibus pro pretio per duos Peritos eligendos per Magistros prefatos et Potestatem extimando vendere et contractum Venditionis conficere cum illis emere volentibus. Que Venditio per prefatos Magistros sic facta firma et rata semper maneat dumodo prefati Emptores incontinenti soluerint illarum precium Domino rei vendite vel ad istum effectum actualiter illud deposuerint ac se in prefato Instrumento obligaverint in forma Camere de illis reaptandis et operiendis spatio quatuor Mensium futurorum, et à die celebrationis prefati Instrumenti inchoandorum vel aliud tempus per ipsos Magistros statuendum quod si infra dictum tempus non adimpleverint in prefato Instrumento promissa Venditio prefata rescindi vel ad promissorum observationem agi per Dominos illarum vel Magistros Viarum prefatos possit. Et nihilominus unusquisque Emptor prefatorum incidat in penam XXV Scutorum et si plures concurrerint qui illas emere voluerint preferatur magis Vicinis et si ambo pariter Vicini sunt preferatur Ocricolanus Forensibus, et Consanguineus Domini rei vendende Extraneis, et qui voluerint pulchrius Edificium construere, illis qui minus pulchrum &c.

De Priuilegijs Ocricolanorum Volentium ædificare in Terra Ocricoli vel eius Suburbio

Cap. XXII.

Quia illis qui decreverint et voluerint construere vel

vel ędificare, sive construi vel ędificari facere in
Terra Ocricoli vel eius Suburbio aliquam domum
vel Edificium de novo vel antiquum ampliare, quod
in ornatum et pulchritudinem dictę Terrę vel Sub-
urbij prefati respectiue redundare credatur fa-
vendum est, illisque privilegia quędam sint merito
concedenda; Propterea statuimus, et ordinamus quod
si quis Domum Fundum Solumve habens in Terra
Otricoli vel eius Suburbio voluerit ut supra ędi-
ficare et aliquam Domum ibi contiguam pro com-
modiori Edificij construendi ampliatione et ornatu
voluerit habere, tunc prefati Magistri cogant illis
vendi Domos, aliaque Loca eidem Domui Fundo et
Solo vicina quę earum Domini non incolunt sed
Locare solent, quęque ijdem Magistri huiusmodi
Edificio utilia et necessaria putaverint pretio
tamen aucto decimaquinta eius parte ultra ęstima-
tionem modo in Capitulo precedenti faciendam.
Et si Ædificium ipsum insigne respectu loci et Ter-
rę Ocricoli futurum sit arbitrio Magistrorum
Viarum declarandum eique perficiendo aliqua Do-
mus etiam a Domino habitata, vel alius Locus oppor-
tunus coheręat eo casu dumodo Edificium intra du-
os Menses cepturus sit, idque cohereat Domui vel Loco
huiusmodi a duobus Lateribus cogant Domorum Do-
minos sic habitantes ut Domum vel Locum illum
aucto tamen precio ad duodecimam eius partem da-

dataque ipsi Domino quatuor Mensium dilatione post factam venditionem, quo interim ibidem permanens aliam sibi habitationem parare possit, vendant, Et casu quo tales nollent vendere, et Instrumentum venditionis conficere tunc prefati Magistri vice et nomine recusantis, vel differentis, rem ipsam vendant cum promissionibus obligationibus, pactis etiam penalibus et clausolis consuetis pretiumque quod cum eius augumento proveniet apud Personam fidedignam et facultatibus idoneam deponant, et venditio à prefatis Magistris casu prefato facta, rata et firma semper manere debeat, dumodo talis Emptor se obliget in forma Camere pro observatione omnium contentorum in presenti Capitulo et quod si promissa non observaverit infra tempus eis statutum solvet penam vigintiquinque Ducatorum et ad damna, et interesse et expensas à Domino rei propterea passa reficiet et ulterius non possit hac de causa Vicinos molestare et inquietare.

De Iure Congrui, et requisitionibus faciendis a Vicinis uendere uolentibus.

Cap. XXIII.

Sed cum aliqua Domus, sive fundus vel quevis Possessio vel Terra sua sponte à Domino vendenda erit, teneatur Venditor requirere Vici:

Vicinos quotquot erunt qui rem aliquam immobilem
illi contiguam habuerint etiamsi empturos nullo modo
antea professi sint an aliquis eorum velit rem venden=
dam emere eisque precium atque omnia pacta et
conditiones quibus cum alio vere, omnique procul fi=
ctione contraxit intimare. Perquisitio et intimatio fiat
per Baiulum personaliter si reperti fuerint, sin au=
tem facta diligentia per eumdem Baiulum reperiri
commode non poterint, Fiat Domi dimissa copia. Absen=
tibus autem á Terra Ocricoli docto extraiudiciali=
ter coram Potestate et Magistris eos abesse, nec
esse pro illis Agentes Procuratoresve in Terra Ocri=
coli fiat per publicum Ædictum affigendum locis
quibus in Terra prefata consuetum est; Quibus ita
factis iurent, tam Venditor, quam Æmptor apud
acta Iudicij Domini Potestatis venditionem de
huiusmodi re iam factam et intimatam esse ve=
ram et in ea eiusque pretio non intervenisse do=
lum, fraudem, simulationemve aliquam. Post
hęc si Vicini prędicti, se eisdem pretio, et pactis,
et conditionibus empturos non declaraverint, Pręsen=
tes scilicet infra quindecim dies Absentes vero in=
tra triginta á die pręstitorum huiusmodi Iura=
mentorum. Rursus si tam pręsentes quam absen=
tes intra alios quindecim dies ab huiusmodi de=
claratione, et promissione si fiat omnia iuxta ea
quę in Venditione intimata continebuntur non pre=
stiterint, Pretiumque si quod in illa solutum fu=

fuerit non persolverint Venditio cuicumque alij facta maneat, et rata sit. Qui vero intra utrumque dictorum terminorum tempus predicta impleverit, Ei, ceteris exclusis venditio sic fieri debeat, at si perquisitio, et Intimatio ita facte, Iuramentaque ita prestita non fuerint quecumque Venditio de ea Domo Solo, Possessione vel Terra cuicumque alij facta, nullum Ius Emptori tribuat, et quoad illum pro infecta sit quamdiu Vicini intra annum a die quo illam resciverint se opposuerint, siquidem aliquo Ipsorum intra annum petente, seque, ut predictum est obligando, et precium Emptori si is illud accipere, et emptioni sue renunciare voluerit restituente aliogui precium ipsum deponente, venditio ei facta censeatur, et perinde ex illa in rei possessionem inducatur expulso inde dicto primo Emptore, ac si cum eo, et ad eius commodum celebrata esset, Rescivisse autem quoad hoc attinet intelligatur quocumque modo preceperint, vel hoc solum rem scilicet fuisse venditam, licet neque pretium, neque alias conditiones aut qualitates perceperint, post vero dictum Annum maneat prima Venditio, neque hac de causa a quoquam alio amplius impetatur. Cœterum eo casu quo perquisitio et Intimatio predicte fient si in illa Venditione aliqua simulatio presertim

preſertim circa pretium augendum admiſsa fuerit, tum Venditio nulla sit, tum simulatores Ipsi alter re, alter pretio privati sint, Ipsumque pretium Ipsasque res Cameræ dictę Terre eoipso applicentur, et insuper Iidem Simulatores penis Falsi, et si iuraverint etiam periurij puniantur.

De Pluribus Vicinis in Æmptione concurrentibus
Cap. XXIIIJ.

Item Statuimus et ordinamus, quod quando in singulis casibus predictis sive coactę, sive spontaneę Venditionis duo Vicini fuerint, quorum Ædificijs, vel Predijs res vendenda opportuna existat et propterea illam sibi quisque ex precedentibus statutis vendi postulet, Is obtineat qui magis indiguerit aut si uterque ęque indigeat inter utrumque dividatur quatenus utrique commoda portio tribuatur; At si huiusmodi portiones Vtrique forent inutiles, tota illi detur, cuius Ædificio, vel Poſsesſioni à pluribus partibus, vel alias magis adheserint, Si vero alteri tantum divisio inutilis futura sit nihil illis sed tota alteri detur. Quod si in Predijs Vrbanis nulla fuerit ędificantium indigentia, Is preferatur qui magis fuerit Vicinus vel

vel in Vicinitate pari qui plus quique ad maio-
rem Terre ornatum Iudicio eorumdem Magistro-
rum Viarum ędificare voluerint.

De Quæstionibus Confinium
Cap: XXV.

Item Statuimus et ordinamus quod quotiescumque
accideril aliquo controversia circa confinia, et termi-
nos debentes terminare et distinguere Vicinorum
Terras seu Possessiones, tunc Magistri prędicti te-
neantur et debeant onere sui Officij pro quiete Vi-
cinorum ad eorumdem petitionem secum vocare duos
Viros probos et illius Contrade magis pratticos, et
ad Locum differentię accedere et secundum eorum
et illorum ab eis electorum prudentiam terminare
et illorum differentiam diffinire, receptis prius pro
eorum et illorum ab ipsis electorum Viatico Iu-
lijs duobus à prędictis Contrauertentibus pro ęqua-
li portione solvendis, quorum Magistrorum diffini-
tioni per partes stari debeat, et qui contravenire
tentaverit solvat pęne nomine Iulios XXV.
nisi talis reclamans concludenter doceret extra-
iudicialiter per duos Testes Fidedignos de errore
dictorum Magistrorum Viarum et considerabi-
li gravamine ei illato per diffinitionem seu pro-
nunciationem prefatorum Magistrorum, nam eo
casu appellare possit ad Potestatem coram quo
dicta difficultas revideri, et intra decem dies

dies à prędicto Potestate omnino sopiri debeat ad pęnam quinque ducatorum parti appellanti applicandorum

De Concilio Generali
Cap. XXVJ.

Concilium seu Coadunatio generalis Hominum Terrę Ocricoli fieri debeat premisso sono Campanę et preconizatum per Baiulum Comunitatis dictę Terrę per Loca solita, et consueta et de sero pro mane immediate sequenti, quod unus pro Foculari de dicta Terra Ocricoli venire debeat ad dictum Concilium ad Locum deputatum sub pęna duorum Carolenorum pro quolibet Concilio si in dicta Terra presens fuerit et Legitima causa non impeditus et absque Licentia D.D. Priorum venire recusaverit, quam pęnam Potestas dictę Terrę teneatur exequi irremissibiliter alias teneatur Ipse ad dupplum retinendum de eius Salario in fine sui Officij: Et in casu discordię opinionum Consulentium redditis solitis fabis, et numeratis prevaleat quod pro maiori parte ibidem presentium fuerit obtentum super omnibus quę ad Universitatem dictę Terrę spectant et pertinent; Et si quis consulere aliquid voluerit, primo tactis Scripturis iuret fideliter et utiliter pro ipsa Comunitate consulturum remoto odio, ira, et particulari affectione, vel invidia, et sic omnibus reticen=

reticentibus libero ore consulat, prout Sibi videbitur sine impedimento Adstantium, quique si verbo, vel facto à quocumque fuerit impeditus, talis impediens cadat in pęnam trium Carolenorum; Et dictum Concilium semper fieri debeat cum presentia Domini Potestatis qui omnimodo interesse debeat nisi iusta causa fuerit impeditus et debeat etiam interesse Cancellarius qui omnia gesta in Concilio facta describat, et omnia dicta et in casu quo in eodem Concilio adsint plura dicta super quorum acceptione vertitur disputatio, et disceptatio, illa solum propositio seu dictum mittatur ad Fabas, quod fuerit à pluribus viva voce approbatum, et si plures erunt propositiones, et dicta quę ęqualiter comprobatę fuerint ut supra omnes ponantur ad fabas.

De Concilio Speciali
Cap. XXVII.

Quia non facile semper et omni casu, et precipue in his quę in instanti et repentine obvenire solent potest Generale Concilium congregari propterea Statuimus, et ordinamus quod Priores pro tempore existentes faciant convocare ad locum solitum Conciliarios per Concilium Generale ad id in principio cuiusque Anni deputatos et electos qui in Terra Ocricoli aderunt, et alios qui Dominis Prioribus pro

protempore idonei videbuntur, qui sic vocati te=
3 neantur statim venire sub pęna quinque Carole=
norum irremissibiliter per Potestatem exigendo=
rum, nisi aliqua iusta causa impeditos iuste
doceant; Et Ii qui venerint cum Dominis Prio=
ribus consulant, et disponant prout melius illis
videbitur expediens Communitati dictę Terre Ocri=
coli, quod si eorum dicta in unum non convenerint
redditis Fabis prevaleat quod pro maiori parte Ad=
stantium fuerit obtentum, et dictum Concilium spe=
ciale disponere possit super omni re ipsius Comu=
nitatis quę repentinam provisionem requirit, nec
potest expectare Concilium Generale; Et quod
in eo fuerit dispositum, et obtentum maneat ratum
et firmum prout in Concilio Generali factum esset

De Oratione dicenda per Cancellarium in initio cuiuscumque Concilij
Cap. XXVIIJ.

Quia in Concilijs tam Generalibus quam Specialibus
faciendis tractantur ut plurimum negotia quę con=
cernunt honorem, utilitatem, et quietem respective
tum totius Populi, ac Comunitatis Terre Ocri=
coli tum etiam Particularium Hominum dicti
Loci, quę si non recte consulantur et tractentur
possunt Animabus Consulentium damnationem
afferre; Ideo ut huic inconvenienti quantum fi=

fieri poterit obvietur. Statuimus et Ordinamus ut in initio cuiuscumque Concilij tam Generalis quam Specialis postquam ad prefatum effectum omnes fuerint congregati humiliter, et genibus flexis legatur alta, et intelligibili Voce per Cancellarium infrascripta Oratio quam Sanctum Isidorum composuisse constat, Vt Ipse Omnipotens Deus bonorum Conciliorum et Operum Auctor sua Divina Clementia dignari velit illuminare Sensum et Corda Ipsorum Consulentium, ut possit in unaquaque rè super quà desiderantur Concilia proferri rebus proponendis accommodata

Oratio

Adsumus Domine Sancte Spiritus. Adsumus peccati quidem immanitate detenti. Sed in Nomine tuo congregati veni ad nos et esto Nobiscum et dignare illabi Cordibus nostris doce Nos quid agamus, quo gradiamur et ostende quid efficere debeamus, ut Te auxiliante Tibi in omnibus placere valeamus, esto salus suggestor, et effector Judiciorum nostrorum qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen posides gloriosum, et non patiaris nos esse perturbatores Justitie, qui summam diligis equitatem non in sinistrum ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptatio muneris vel Persone corrumpat sed iunge Nos efficaciter solito tue gratie dono, ut simus in Te unum et in nullo deviemus à vero, ut sicut in Nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis Justitiam ut et hic à Te in nullo dissentiat sententia nostra et in futuro pro bene gestis consequamur premia sempiterna. Respondeant Omnes. Amen

De Iuramento Conciliariorum
Cap. XXIX

Consiliary Spec est illi qui sunt Prepositi Concilio Speciali iurent venire ad Concilium toties quoties fuerint requisiti per Nuncium vel Baiulum vel sonum Campane, et dare Consilium sane legaliter, et bona fide prout secundum videre et conscientiam eorum noverint expedire pro honore et commodo Comunitatis, et Populi Terre Ocricoli et de Consilio non recedere ante finitum Consilium sine Licentia Dominorum Potestatis et Priorum &c

De observandis a Conciliarijs volentibus eorum Consilia dare in Consilio
Cap. XXX

Item Statuimus et ordinamus, quod nullus Consiliarius, vel alia Persona in Concilio Generali faciendo in Palatio Dominorum Priorum audeat seu presumat aliquid dicere, aut proponere, vel exponere absque speciali Licentia et mandato Dominorum Potestatis et Priorum qui erunt pro tempore nisi tantum super proposita que fieret a quolibet proponente in dicto Concilio subpena duorum Carolenorum pro quolibet, et volens quis aliquid in prefato Concilio proponere, vel aliquid Consilij prepositis da-

dare teneatur accedere ad Sedem ad id deputatam, et aliqua in parte antedicti Palatij separate positam et in ea, et non in alio Loco existens eius propositionem vel Consilium proferat, alias aliquid dicere non possit in dicto Concilio.

De Electione D. Potestatis Cap. XXXI.

Item Statuimus et ordinamus, quod in Terra Ocricoli et eius Regimine sit et esse debeat unus Potestas Forensis qui eligatur in Concilio Speciali pro Semestre, et refirmetur quando videbitur et placuerit dicto Concilio Speciali cum Capitulis solitis, et consuetis, quę tamen electio et refirmatio debeat confirmari ab Ill.mo Gubernatore protempore dictę Terrę, alias nullum tribuat Ius Ipsi Electo nec possit aliquis esse Potestas Terrę Ocricoli, qui sit de aliqua Terra quę sit prefatę Terrę Ocricoli propinqua per duodecim milliaria inclusiue. Nec qui sit de Abatia et aliquo Loco Abatię quę vulgo dicitur dell' Abadia di Firentillo. Item qui semel fuerit Potestas, non possit ad dictum Officium et eius Regimen reassumi usque ad tres annos completos à fine sui Officij computandos nec aliquis possit ad Officium Potestatis eligi qui alicui Ocricolano usque ad tertium gradum Con=

Consanguinitatis vel affinitatis coniunctus sit, et eligi debeat Vir probus, practicus et Literis præditus et si fieri poterit aliqualiter versatus in Legali Facultate et si contra in aliquo præfatorum casuum factum fuerit electio sit nulla Ipso Iure &

De Iuramento Potestatis
Cap. XXXII.

Potestas statim quam Palatium ingrediatur ad Officium Potestatis exercendum iuret in manibus Dominorum Priorum ad Sancta Dei Evangelia tactis Scripturis, Officium Sibi commissum exercere per Se et suos Officiales Legaliter et bona Fide cum omni diligentia, et Sollicitudine debita Terram Ocricoli et eius Populum omnem, in pace et tranquillitate manutenere regere, et gubernare, malis Hominibus Terram præfatam purgare, Iura, et bona, ac Iurisdictiones, et dignitates Terre Ocricoli, et Camere conservare, defendere, ac occupata, et deperdita pro posse recuperare Hospitale, et Pia Loca manutenere, et defendere in causis eorum, ac Viduarum, Pupillorum, Pauperum et Miserabilium Personarum, et Dotium Mulierum procedere, et procedi facere simpliciter et de plano sine strepitu, et Figura Iudicij Locationes factas, et fiendas Ocricolanis, vel Foren=

Forensibus in perpetuum vel ad tempus manutenere, et conservare et Conductores in eorum Possessione defendere, et Expulsos in possessionem reducere, Statuta, et bannimenta facta et fienda servare sicut iacent absque aliqua mala seu sophistica interpretatione et facere per eius Officiales observari, et in casibus in quibus Statuta seu bannimenta non disponant, servare et servari facere Ius Commune et in omnibus Manus puras habere, ab omnibus illicitis abstinere gratias non petere in Conciliis et quod Conventiones aliquas lucrativas cum partibus non faciet et ipsis Prioribus et eorum Camere Iuribus assistet, et prestabit Suffragium atque favorem et de omnibus ab Eo gestis rationem reddet et Sindicorum Iudicio, et Sindicatui finito eius Officio stabit et ea, ad que de Iure tenebitur, solvet, et si in aliquo prefatorum negligens fuerit incidat in penam decem Scutorum pro vice qualibet, et prout etiam per dictos Sindicatores condemnatus fuerit.

De Observandis per Potestatem ante admissionem ad Iuramentum præfatum

Cap. XXXIIJ.

Item Statuimus et ordinamus quod Potestas in prin=

principio sui Officij portet fidem et quietantiam solutionis Taxarum à Dominis Secretarys vel Agentibus pro eis alias non admittatur ad dictum Officium alias Priores qui admiserint teneantur Ipsi de proprijs facultatibus ad dictas Taxas, et ad damna et interesse passa per Comunitatem.

De Officio Potestatis et obseruandis ab Eo post susceptum Iuramentum Cap. XXXIV.

Ad Officium Potestatis post acceptum ab Eo Iuramentum de quo supra, spectet et pertineat Causas omnes tam Civiles, quam Criminales dictę Terrę Ocricoli audire, cognoscere et illis Iustitiam ęqua Lance ministrare, illasque infra tempora à Statuto dictę Terrę tradita, terminare atque decidere, et exequi facere; Et Potestas prefatus teneatur retinere unum Notarium ad Banchum si Ipse de Se non sit sufficiens, et practicus sinautem Ipse fuerit sufficiens, et practicus in scribendis actis possit Ipse solus scribere, et suscipere Litigantium Iura et formare quoscumque Processus modo, formaque predictis, sine tamen uno bono Officiali damnorum datorum et uno bono et approbato Executore nullo modo dictum Officium exerceat ad penam quinque Iuliorum pro quolibet die et Officiali quo Officium prefatum sine dictis Officialibus vel eorum quolibet exercuerit de eius Salario retinendorum; Item teneatur infra quindecim dies

dies à die præstiti Iuramenti prædicti computandi præstare Fideiussorem de soluendo Archibusium Finitum secundum Consuetudinem dictæ Terræ ante Finem eius Officij, et si illum dicat se reperire non posse quodque aliqualiter ostendatur, tunc Priores pro tempore et Camerarius retinere possint et debeant portionem Salarij eiusdem Potestatis sufficientem pro Archibusio prædicto; Et Priores et Camerarius qui talem Fideiussionem recipere, vel talem Salarium vel Salarij portionem respectiue retinere tempore debito neglexerint incidant in pœnam decem ducatorum; Potestas vero pro tempore dictæ Terræ habeat pro suo Salario suo, et præfatorum Officialium Scuta quatuor monetæ in totum pro quolibet Mense quo Officium præfatum prædicto modo exercuerit.

De Eodem

Cap. XXXV.

Item Statuimus et Ordinamus quod prædictus pro tempore Potestas ante finitum tempus Officij non possit discedere à Terra Ocricoli nisi ex legitima Causa, et pro tempore per Dominos Priores approbandis et determinandis, et si discesserit debeat aliquem Virum idoneum et ab Ipsis Prioribus approbandum substituere qui durante eius absentia Officium bene, ac diligenter exerceat reservato ha=

præsens Cap. non observatur quia non adest Potestas sed Gubernator [illegible] aliquando [illegible] [illegible] aliquando [illegible] [illegible] [illegible] Gubernatore

tamen in omnibus arbitrio Ill.mi Domini Gubernatoris pro tempore; Et nihilominus dicta Licentia obtenta teneatur redire ad Sindicatum et de omnibus rationem reddere ut in sequenti Capitulo continetur, nec possit aliquo modo Potestas prefatus exequi represalias ad Instantiam alicuius Forensis sine expressa Licentia Dominorum Priorum sub pena decem ducatorum Ill.mi et R.mi Domini Gubernatoris arbitrio applicandorum. Et nihilominus executio de dictis represalijs sit nulla et invalida.

Quod Potestas Terræ Ocricoli sistere debeat ad Syndicatum Cap. XXXVJ.

Potestas finito suo Officio cum eius Officialibus et Familiaribus teneatur stare et sistere personaliter tribus diebus coram Iudicibus Syndicatoribus deputandis ad eius ratiocinia et coram Eis tam Ipse quam eius Officiales et Familiares pro quibus obligatus sit teneantur de gestis et administratis, et factis tam per se quam per suos Substitutos pro quibus eumdem teneri volumus durante Officio reddere rationem, et unicuique conquerenti infra dictos et prefatos tres dies respondere de Iure, et omnibus satisfacere qui-

quibus de Iure tenentur. Qui conquerentes
seu petitionem dantes teneantur eorum petitio=
nes coram prefatis Iudicibus infra tres alios dies
verificare et Iudices prefati infra tres alios di=
es super eis pronuntiare, et sententiare debe=
ant adeout casua Syndicatus terminetur infra
novem dies, et Iudices seu Syndicatores prę=
dicti tam in cognoscendo quam in sententiando
possint procedere summarie simpliciter et de
plano sine strepitu et figura Iudicij, et non
obstantibus Ferijs nisi in honorem Dei itaut
veritas discutiatur. Et ad illam respectus
et consideratio per Iudices habeatur. Et si
quis ex dictis Officialibus vel Familiaribus
absentaverit se quacumque de causa Pote=
stas teneatur pro absentibus ad omnia ad
quę dicti absentes condemnari deberent si per=
sonaliter interessent, pro quibus condemnationi=
bus et debitis Priores et Camerarius pro tem=
pore medietatem Salarij dicti Potestatis re=
tinere debeant et illud non solvere quousque per
Iudices Syndicatores Ipse Potestas et eius Offi=
ciales, et Familiares absoluti fuerint et si di=
ctum Salarium non sufficeret ad prędicta, de=
tineatur personaliter quousque solverint totum

totum in quo Ipse et prefati eius Officiales vel Famili=
ares fuerint condemnati. Qui Potestas et Offici=
ales prefati à sententia Syndicatorum prefatorum
nullo pretextu appellare possint, sed tantum recur=
sum ad Illmum D. dictę Terrę pro tempore per=
petuum Gubernatorem habere possint.

De Modo creandi Syndicatores Potestatis et eius Officialium Cap. XXXVII.

Item Statuimus et Ordinamus quod quotiescumque
Potestas pro tempore finierit eius Officium adeout
Syndicari debeat secundum formam presentium Sta=
tutorum tunc, et eo casu Priores pro tempore possint
et debeant elijere sex Homines practicos et in Iudi=
cijs quantum fieri poterit versatos quorum nomina
describantur et ponantur in Bussulo, ex quibus duo
in ipsa die qua Syndicatum incipere debent et non
ante, sorte extrahantur, qui Syndicatores ita extra=
cti munus predictum Syndicandi suscipere tenean=
tur, sub pena duorum ducatorum ipso facto per eo=
rum quemlibet incurrenda nisi ex aliqua iusta
Causa et à Prioribus approbanda Se excusaverint
quo casu alius sive alij loco Se excusantis forma
predicta extrahi debeant et electio vel deputatio
sive Extractio aliter facta non valeat ipso Iure

Liber
De Officio et Potestate Syndicatorum
Cap. XXXVIII

Iudices ad Syndicandum Potestatem et eius Officiales et Familiares inprimis iurent omnia respicientia eorum Officium bene, et legaliter remotis odio, amore, precio et omni munere adimplere et dicto Potestati et Officialibus et Familiaribus omnibus de male, et dolose gestis penas inferre et in omnibus in quibus modum et formam Statutorum et Iuris Communis excesserint, et aliquos damno vel iniuria affecerint condemnare, quique diligenter examinent an tempore debito cause fuerint determinate, et an Comunitas et eius Camera in suis Iuribus, Iurisdictionibus, et Introitibus à prefatis defraudata fuerit et an aliqua particularis Persona presertim Pupilli, Vidue, et alij Pauperes et miserabiles Persone in aliquibus gravate et indebite vexate fuerint et demum de omnibus ab eisdem iniuste et male gestis et factis et Ipsi Syndicatores in Syndicatu hoc modo procedant quod prima die, quod ipsum Syndicatum intrabunt mittant unum bannum publicum in Scalis Palatij Potestatis, et per alia Loca dicte Terre consueta quod quicumque vult contra Potestatem et eius Officiales et Familiam, aliquam querelam accusationem, seu petitionem porrigere, compareat

coram

coram eis infra tres dies ad faciendum prędicta et rur-
sus sequenti die mittant alium bannum modo quo supra
de querelis seu petitionibus intra duos immediate se-
quentes dies porrigendis, et si prędicta omnia servata
non fuerint Syndicatores prefati incidant in pęnam
duorum ducatorum ipso facto ab eis auferendorum et
nihilominus teneantur ad damna et Interesse illis
qui Querelam seu Petitionem dare voluissent

De Vacatione Officij Potestatis
Cap. XXXIX

Si Terra Ocricoli careat Potestate vel eius Legitimo
Substituto Priores qui tunc temporis in Prioratus Offi-
cio reperientur, et successiue post finitum eorum Offi-
cium Successores, possint et debeant dictum Officium
ut premittitur vacans exercere pro tempore quo Offi-
cium extiterit vacans, et usque quo nouus Potestas
ad Terram Ocricoli venerit, et Officium assumpserit

De Officio Castaldi seu Baiuli et illius Electione, et Confirmatione
Cap. XL.

Quoniam absque uno fido et diligenti Baiulo vix po-
test convenienter in Terra Ocricoli Ius reddi et Iu-
stitia dignis atque usitatis modis administrari; Ideo
volentes sequi consuetudinem in prefata Terra ap-
probatam omni tempore. Statuimus et ordinamus, quod
in Terra Ocricoli sit et esse debeat unus Castaldus
seu Baiulus, qui eligi debeat per Priores pro tem-

protempore existentes qui postea debeat acceptari et confirmari à Concilio Speciali alias electio de illo absque acceptatione et confirmatione prefa=ti Concilij nullius sit roboris vel momenti. Ad cuius Officium spectet et pertineat ad omnem requi=sitionem Domini Potestatis et Priorum bannimenta ei commissa et committenda incontinenti et quando=cumque prefati voluerint in Quatvivijs Terre Ocricoli et Suburbio secundum antiquam Consuetu=dinem facere et bannire aliaque precepta et man=data citationes et Intimationes quascumque dili=genter et fideliter facere earumque veras relati=ones et executiones fideliter ponere et referre pro quibus nihil ultra salarium ei à dictis Prioribus statutum petere possit; Prò bannimento vero, citati=one, vel Intimatione quacumque ad petitionem cu=iuscumque alterius private Persone tam Ocri=colani quam Forensis faciendis modus infrascri=ptus servetur; Videlicet ut pro quolibet banno per totam Terram ab eo faciendo habere debeat Qua=drantem unum nec ~~non~~ prò qualibet Citatione vel Intimatione intra dictam Terram et eius Subur=bio possit petere ultra unum Quadrantem, extra ve=rò Terram et Suburbium dicte Terre habeat pro qualibet Citatione bolonenos duos; Prò Sub=hastatione vero cuiuscumque pignoris ad quam=cumque Summam adscendentis tam ab Ocricolano quam Forense unum tantum bolonenum exigere pos=

possit, Et si ultra Summam per presens Capitulum taxata exigat à govis incidat in penam Iuliorum quinque pro qualibet vice &

De Iuramento Castaldi seu Baiuli Cap. XXXXI.

Statuimus et ordinamus quod Castaldus, seu Baiulus ut supra deputatus ante omnia iurare debeat, et teneatur in manibus Dominorum Priorum ad Sancta Dei Evangelia tactis Scripturis Officium Castaldi, seu Baiuli sibi commissum exercere legaliter et bona fide cum omni diligentia et sollicitudine debita, et quod banda et Mandata sibi commissa, et committenda à Potestate et Prioribus prout Sibi imposita fuerint banniet, et notificabit nec illis, aut illorum Cuilibet addet, et minuet, et illis conformes relationes faciet. Item quod citationes Interpellationes et Intimationes quascumque faciet, et etiam ad petitionem Cuiuscumque alterius private Persone, statim cum requisitus fuerit et potuerit et ei soluta fuerit merces Statutaria illasque faciet iuxta formam sibi traditam in presenti Statutorum Volumine ac illarum relationes veras et dictis interpellationibus Citationibus vel Intimationibus respective conformes, et in nullo discrepantes et variantes apud acta Potestatis ad petitionem Actoris sive Rei vel pro eis Comparentis similiter de verbo ad verbum prout executus fuerit referet et

et adnotari curabit. Et si contrarium in aliquo prefatorum casuum fecisse constiterit solvat pene nomine Scuta quinque pro qualibet vice qua contrafecerit; Et nihilominus removeatur ab Officio et alias puniatur prout delicti enormitas postulabit arbitrio Potestatis et Priorum, prout etiam teneatur prefatus Baiulus pro onere sui Officij verrere, sicut ut vulgo dicitur scopare Plateam et Palatium dicte Terre Ocricoli bis in Mense sub pena unius Iulij pro qualibet vice qua defuerit &

De Syndico Communitatis
Cap. XXXXIJ.

Quia Syndici usus frequens, ac necessarius semper visus fuit propterea statuimus, et ordinamus quod tempore quo fit bussula Officialium Terre Ocricoli imbussolentur etiam aliqui ad Officium Syndici Communis et eligantur tantum qui ad id peragendum idonei ab Imbussulatoribus fuerint iudicati Et postea in principio cuiusque Anni et tempore quo extrahentur alij Officiales ad Annum extrahi debeat unus ad prefatum Officium exercendum, cuius Officium duret per annum tantum, et anteaquam assumatur ad Officium Syndici peragendum debeat se obligare in ampliori forma Camere de reddendo in fine anni sui Officij, et etiam ante finem, si Con-

si Concilio speciali placuerit, bonum et Leale computum de omnibus pro Communitate gestis, et factis, et administratis —

De Officio et Iuramento Syndici Communitatis

Cap. XXXXIII.

Ad Officium Syndici Communis spectet et pertineat omnia Iura Camere Terre Ocricoli defendere et Communitatem adversus quoscumque indefensam non relinquere, et pro Communitate et eius Camera utilia facere, et inutilia pretermittere et insurgere contra Quoscumque Officiales Terre prefate qui aliqua facerent vel omitterent que facienda vel omittenda respective non essent, petitiones et querelas contra quoscumque Officiales proponere et usque ad finem prosequi, et terminari facere et instare ut Officiales qui reperti fuerint culpabiles propter administrationem eorum Officij respective condamnentur et condemnatio solvatur, et damna propterea per Communitatem passa a prefatis resarciantur, et incamerentur Camere prefate Terre Ocricoli et insuper iuret in principio eius Officij in manibus Dominorum Priorum pro tempore quod omnia supradicta et alia ad que ratione sui Officij de Iure tenetur observabit, et adimplebit —

De Obseruandis in diebus Festivitatis Sancti Fulgentij

Cap. XXXXIIII.

Quoniam Omnipotentis Dei Providentia et bonitate fa=

Factum est ut in Terra Ocricoli quamplura sint Corpora, et Reliquie Sanctorum Martyrum, et inter alia sint Reliquie Sancti Fulgentij olim Episcopi Civitatis Ocricolane et Sancti Victoris Terre nostre Ocricoli Advocatorum et Protectorum ob quorum honorem et devotionem ab immemorabili tempore citra consuetum fuit ut solemniter celebrentur Sanctorum Protectorum Festivitates propter quorum Sanctorum et Reliquiarum Eorumdem, et aliorum Sanctorum et Sanctarum venerationem in diebus dicte Festivitatis ad Terram Ocricoli Forenses circumvicini in magna quantitate accedere solent. Et propterea ob Populi multitudinem solet quandoque oriri aliqua questio seu Controversia, quibus malis obviare cupientes; Statuimus et ordinamus ut in Vigilia hoc est in die ante Festivitatem Sancti Fulgentij et in die Festivitatis eiusdem ac die sequenti Potestas Terre Ocricoli debeat banniri facere per Terram Ocricoli et Suburbium eiusdem, ut nemo Forensium audeat portare aliquod genus armorum per Terram et Suburbium prefatum sub penis in Statutis, et bannimentis dicte Terre contentis, necnon facere alia banna et ordinationes circa modum vivendi et procedendi et alias necessarias, et necessaria pro quiete Festivitatis, illasque, et illa executioni mandari faciat, et

et alia gerat quę pro quiete Ipse Potestas et Dominus Festivitatis iudicaverint expedire et si dictis tribus diebus acciderit aliqua Rixa inter ipsos Ocricolanos vel inter Ocricolanos et Forenses citra sanguinem Liceat Preposito Festivitatis qui vulgo dicitur il Signor della Festa dictos rixantes pacificare et concordes reddere et si intra dictos tres dies id fecerit, itaut inter omnes Rixantes vera pax et concordia effectualiter sit sequuta, Potestas non possit nec valeat contra Rixantes aliquo pacto, nec aliquam pęnam procedere

De Supellectilibus Palatij DD. Priorum fideliter custodiendis

Cap. XXXXV.

Statuimus et Ordinamus quod Emptores ~~quod~~ Seu Conductores Introitus dicte Comunitatis hoc est Emptor Gabelle, Emptor Panettarie, Emptor Macelli; teneantur, et quilibet eorum respective teneatur ultra summam oblatam et pro qua fuerit eis, vel eorum Cuilibet tanquam plus Offerenti pro convento tempore deliberati Introitus prędicti, vel eorum aliquis solvere in manibus Dominorum Priorum pro tempore summam infrascriptam, videlicet

videlicet Emptor Vectigalis seu Gabelle ducatos tres, Emptor Panectarie simili modo ducatos duos, Emptor Macelli ducatum unum, et Conductores prefati teneantur solvere summam ut supra respective taxatam infra mensem à die quo incepit annus sue conductionis de predictis de quibus pecunijs Priores pro tempore debeant emere Suppellectilia seu Massaritias Palatio predicto magis necessarias que describantur statim in Inventario rerum Palatij, et custodire debeant, et consignare respective Camerario Communitatis ut in precedentibus Capitulis continetur.

Libri Primi
Finis

Liber Secundus

De Statutorum Obseruantia

Cap. p.^m

Statuimus et ordinamus quod inter Homines Terre Ocricoli ac etiam quoscumque Habitatores eiusdem serventur Statuta eiusdem Terre in omnibus in quibus disponunt, ubi vero non disponunt servetur Ius Commune

De Citationibus fiendis in Causis Civilibus

Cap. II.

In Causa qualibet Ciuili sufficiat citatio facta per Castaldum seu Baiulum dicte Terre in quolibet actu articulo et negotio etiam si pars citaretur ad Sententiam audiendam, dum tamen in citatione ab eo facienda exprimatur Citato ad cuius Instantiam fiat citatio, coram quo, et pro qua die et loco, et pro qua Causa et aliter ad executionem Instrumentorum et admissionem in possessionem ex primo vel secundo decreto, vel ad habendum aliquem pro confesso, seu ad Sententiam procedi non possit

De Modo et forma citationis Ciuilis

Cap. III.

Item Statuimus et ordinamus quod Citatio fiat per Castaldum personaliter si reperiri poterit, sin minus

citetur bis domi solite habitationis et hoc intelliga-
tur pro prima uice et citatione: In sequentibus vero
citationibus sufficiat citatio facta domi et in relati-
one Castaldus teneatur exprimere an citatio fuerit
executa personaliter vel domi et fiant regulatiter ci-
tationes una die pro alia, nisi in casibus in quibus mo-
ra esset periculum allatura et quando fit citatio ad sen-
tentiam citetur principalis et procurator si ambo fue-
rint in Terra Ocricoli, sin autem citetur solus presens
dumodo citatio fiat personaliter.

De Modo citandi Absentes
Cap. IV.

Item statuimus et Ordinamus quod si aliquis Ocrico-
lanus conuenire desideret aliquem Ocricolanum vel
Terre Ocricoli continuum habitatorem sed tunc absen-
tem à prefata Terra quod talis absens citari debeat in
omnibus actibus domi sue habitationis cum expressione
eorum que in Citationibus Ciuilibus contra presentes
exprimenda esse statutum est processus contra eum ta-
liter factus omnino valere debeat sed pro prima vice
fiat citatio in scriptis et affigatur hostio prefati citati.

De Citationibus Minorum
Cap. V.

Si Minores viginti tribus annis ad causas civiles con-
veniendi seu alias in Iudicio uocandi sunt, si tales
Minores Tutorem, vel Curatorem habent, tam Ipsi Mi-

minores quam eorum Tutor sive Curator Tutorio vel Cu=
ratorio nomine in principio causæ citari debeant secun=
dum formam citationis superius positam. Si Tutorem
vel Curatorem non habeant, tunc agere volentes citari
faciant tales Minores ter ad minus ad comparendum
Legitime alias videndum sibi per Potestatem provideri
de Curatore ad Litem quam Instans contra eos mo=
vere intendit super tali re, his servatis sive Minor
non comparuerit sive comparuerit sed minus Legiti=
me asserendo se non habere Curatorem sive Tuto=
rem. Iudex intra terminum duorum dierum ex offi=
cio deputet Curatorem ad illam Litem tantum unum
ex Consanguineis, seu Affinibus dictorum Minorum
si idoneum estimaverint alias det aliquem Extra=
neum facultatibus, et probitate idoneum qui Cura=
tor ita deputatus sive Consanguineus sive Extrane=
us teneatur munus illud subire nisi Legitima causa
se excusaverint necnon dare fideiussorem de uti=
li faciendo, et inutili prepermittendo in forma et
Potestas qui in hoc negligens fuerit incidat in pena
decem ducatorum et alias Citatio facta contra Mi=
nores sit nulla, et processus in preiudicium Minorum
factus, illis non preiudicet

Quod maiores xxiij. annis pro Maioribus habeantur

Cap. VI.

Maiores viginti tribus annis in quolibet actu, et Negocio
pro Maioribus reputentur, et Minoribus Vigintitribus
annis

annis super Lesionibus restitutio in integrum conce=datur, et illis tantum qui probaverint se minores vi=ginti tribus annis et Lesos &

De Tutoribus dandis Pupillis
Cap. VII.

Potestas pro tempore Terre Otricoli teneatur omnibus iuste petentibus Tutores vel Curatores dare, et di=cti Potestatis authoritate, et decreto tam Tutele, quam Cure datio et susceptio fiat, quod si aliquo iusto im=pedimento Potestas fuerit impeditus, quod non va=leat accedere ad Domum honestarum Mulierum ad decretum interponendum per seipsum tunc possit ali=um ad id idoneum deputare et perinde valeant gesta per talem Substitutum ad hoc missum, ac si per di=ctum Potestatem facta forent &

Quod possint Consanguinei comparere in Causis Civilibus pro Absentibus
Cap. VIII.

Cupientes quod Iura absentium indefensa non relinquan=tur. Statuimus et ordinamus quod absenses ultra XXX miliaria possint defendi in causa Civili per eorum Consanguineos proximiores, et sine mandato, sed cum promissione de rato solum nulla prestita cautione de solvendo iudicatum, et Iudicium cum istis se=

teneat sicuti si factum esset cum principalibus, ubi autem plures Consanguinei in eodem gradu existerint ille tantum admittatur quem Potestas duxerit preferendum, expense autem fiant de bonis absentis. Absens vero reversus si voluerit ad iudicium admittatur in illis terminis in quibus causa tunc reperitur, et sententia Lata in alterius Personam vel utriusque valeat sed si absens taliter non defendatur procedatur legitime contra eum.

De Comparente per Procuratorem
Cap IX

Si Citatus in Causa Civili per Procuratorem compareat qui doceat de Mandato non expediat ulterius citare Dominum Litis sed sufficiat citari Procuratorem in singulis Iudiciorum actibus preterquam ad sententiam audiendam, quo casu si uterque presens fuerit volumus utrumque citari ne de prolatione sententie ignorantia pretendatur, alias sufficiat citatio solius presentis.

De Libelli seu Petitionis oblatione in Causis ordinarijs
Cap. X

Vt in Iudicijs recto tramite in futurum procedi debeat statuimus et ordinamus quod in causis excedentibus summam, et valorem triginta ducatorum debeat offerri petitio in scriptis quam Actor facto dare

teneatur claram et concludentem et citetur Reus personaliter vel ad domum iuxta formam citationis superius traditam ad videndum productionem Libelli petitionis et respondendum illi et alias ager[?] quo Lens non audiatur. Post hec citato iterum Reo ad contestandum litem, alias videndum pronunciari habere pro contestata, fiat litis contestatio et iuretur de calumnia producantur Articuli examinentur Testes, aliaque fiant sive inde que pro verificatione seu Impugnatione dictæ petitionis respective necessaria fuerint, aut opportuna et in prefatis causis teneatur Iudex dare trinas dilationes primam videlicet sex, secundam quatuor, et tertiam duorum dierum partibus ad probandum de eorum Iure duas videlicet ad probandum, et intra quod probatum habendum per omne genus probationis quibus dilationibus elapsis alia Tela et ordo Iudiciarius non requiratur.

In Quibus Causis Libellus seu Petitio in Scriptis ut Offeratur necesse non est Cap. XI.

Quia in aliquibus et non in omnibus Causis Libellus vel petitio in Scriptis offerri debet ideo statuimus et Ordinamus quod ultra Causas in quibus non requiritur fi-

Libellus de Iure sint etiam alię declaratę à pręsenti Statuto in quibus Libellus seu petitio in scriptis ut offeratur nequaquam desideretur ut quando agitur in Causis alimentorum, appellationis executionis Instrumentorum Apodissarum Sententiarum Arbitriorum Laudorum seu arbitramentorum Vltimarum Voluntatum et in Causis à xxx ducatis infra, et in Causis expensarum et mercedum in quibus mercedum Causis debeat fieri in primis actuale depositum et in Causis Hospitalium et Religiosorum Locorum et Ecclesiarum Miserabiliumque Personarum, et in Causis in quibus pro Comunitate et eius Camera agitur et in supradictis omnibus causis absque Libello Litis contestatione et alijs Solemnitatibus procedi possit in quibus sufficiat petitionem Actoris coram Potestate simpliciter propositam à prefato Potestate vel pro eo scribente redactam fuisse in scriptis sine quà redactione in scriptis nolumus in Causis procedi.

De Recusatione et Suspitione Potestatis
Cap. XI.

Si Potestas Terrę Ocricoli ab aliquo quandocumque suspectus incusabitur debeat talis Incusans intra octo dies à die incusationis numerandos causam suę suspicionis allegasse et probasse coram Illmo Dno Gubernatore dictę Terrę pro tempore, vel eius Dno Audi=

Auditore qui alium loco Potestatis subrogabit. Quod si talis recusans predicta non adimpleverit possit Potestas dicto termino elapso tali recusatione non obstante ad ulteriora procedere &c.

De Terminis et Dilationibus dandis Confessis
Cap. XIIJ.

Si Reus conventus comparuerit et nulla exceptione opposita, se debere fateatur, quod Actor petit, tunc Confessus habeat terminum quindecim dierum ad solvendum si summa petita ab eo excedat Summam XX Scutorum. Si vero Summa petita fuerit ab uno Scuto usque ad XX. habeat Confessus terminum XIJ dierum. Si vero Summa petita fuerit unius Scuti vel Minoris, relinquatur arbitrio Potestatis terminus dandus Confesso &c.

De Remissoria pro Testibus
Cap. XIIIJ.

Quia non semper litigator habet Testes presentes sed quandoque absentes, qui sunt de Negocio de quo agitur bene informati et propterea si quis allegaverit se Testes habere extra Territorium Terre Otricoli, tunc Potestas debeat ei dare Literam missivam directam Judici Loci cum Termino et dilatione competenti secundum Locorum distantiam, intra quem coram Illo Judice examinent Testes, sed hoc petenti prius non

non concedatur, quam nominaverit Testes, Loca, probationes quas intendit per illos facere, et iuraverit de calumnia.

De Iuramento Calumniæ

Cap. XV.

Principales Persone si fuerint presentes in Terra Orvicoli per seipsas subeant calumnie Iuramentum si autem fuerint absentes à dicta Terra admittatur ad iurandum de calumnia Procurator absentis super hoc speciale Mandatum habens.

De Reconuentione

Cap. XVI.

Possit Conventus quandocumque anteaquam in Causa per Actorem facte sint alique probationes reconvenire Agentem apud eumdem Potestatem de quibus de Iure reconventio fieri permittitur post vero factas per Actorem cuiuscumque generis probationes, Reus reconvenire prohibeatur ad effectum obtinendi ut utraque Causa unica, et eadem pronuntia, seu Sententia terminetur.

De Contumace in Respondendo Positionibus

Cap. XVII.

Positionum Usus frequens et necessarius est ad hoc ut per rei confessionem valeat forsan Actor ab onere inducendi Testes, ac probandi relevari. Et propterea statuimus

quod

quod Actor possit in quavis Causa positiones formare et super illis prestito prius per Eum Calumnie Sacramento responsiones à Reo petere, qui si personaliter citatus et requisitus ut positionibus respondere debeat in illis respondendo Contumax fuerit habeatur pro confesso super omnibus super quibus de Iure respondere tenebatur et idem statutum intelligatur in Actore, si ipse Actor citatus et requisitus ut supra nolit positionibus rei respondere et responsiones ad positiones intelligantur valere et fieri debeant per Verbum credit, vel non credit et verbum credit habeatur pro vera affirmatione, et verbum non credit pro vera negatione, et postquam Potestas suo decreto pronunciaverit Conventum sic Contumacem haberi pro Confesso, habeat talis contumax trium dierum terminum à die Intimationis prefati decreti computan: intra quem possit contumaciam purgare et refectis expensis ob eam causam Legitime factis positionibus respondeat, quo termino elapso et contumacia ut premittitur non purgata non valeat amplius super hoc audiri respondere volens, sed pro confesso habeatur nisi aliter attenta Personarum qualitate, et negotij Illmo Dno Gubernatori pro tempore visum fuerit

De Copia Positionum per Potestatem Partibus non Exhiben:

Cap. XVIIJ.

Item ut fraudibus occurratur, et ut veritas simpliciter

simpliciter à Convento haberi possit. Statuimus quod Potestas non possit aliquo casu dare copiam seu aliter ostendere positiones illis respondere habentibus vel alteri Persone, nisi Reo quando responsurus venit sub pena decem ducatorum arbitrio Syndicatorum applicandorum nisi dicte Positiones factum continerent alienum quo Casu Potestas dare possit ac teneatur Copiam Reo dictarum positionum, alias respondere non teneatur conventus. Et si quis respondendo positionibus negaverit fuisse debitum sibi satisfactum, et postea contrarium eius probetur si non intervenerit mutatio Personarum puniatur in Julios quinque, et damna expensas et Interesse parti reficere teneatur.

De absentia debentium respondere Positionibus

Cap. XIX.

Si Dominus Litis sit absens à Terra Ocricoli, qui ad Positionibus respondendum citaretur si se non malitiose absentavit et de hoc eius Procurator per Sacramentum fidem faciat admittatur Procurator bene informatus ad respondendum si speciale habuerit Mandatum, sed si non defendat, vel sub simili Sacramento dicat se non bene informatum ponens super talibus responsionibus quas desiderat non audiatur, sed ad probationes per eum deveniendum erit, sed si post primam Citationem sibi persona=

personaliter factam Reus se absentaverit, tunc devenire possit ad Confessionem prefato modo habendam

De Obseruandis per Potestatem in Testibus examinandis
Cap. XX.

Potestas qui dicta Testium examinandorum scribit, seu scribi mandat procurare debeat ut Testis examinandus respondere debeat clare et singulariter singulis articulis et contentis in illis necnon teneatur explicite et per extensum scribere vel scribi facere dicta et verba Testium non autem simpliciter scribat talis dixit ut talis vel Testis dixit articulum verum esse. Quod si contrarium fecerit examinator parti ad interesse teneatur, et incidat in penam trium ducatorum de suo Salario retinendorum pro vice qualibet Camere Comunitatis applicandorum. Et nichilominus Testes qui ut supra deposuerint iterum examinentur non obstante quod Testes fuerint publicati

De Negligentia Potestatis in Examinando Testes
Cap. XXI.

Si Potestas in examinando Testes negligens fuerit post tres dies computandos a die quo fuerit requisi-

requisitus teneatur Parti ad interesse, et nihilominus recurri possit ad Priores qui deputent Notarium partibus non suspectum ad examinandum ad quam deputationem tenentur illi quorum interest qui deputatus prestito fideliter examinando Iuramento infra octo dies examen perficiat sub pena quinque Iuliorum, et infra tres alios dies Copiam Testium partibus tradere teneatur. Et tali Casu omnis utilitas et Lucrum tam Examinis quam Copiarum sit Notarij examinantis ad quorum solutionem teneantur illi ad cuius Instantiam Testes examinati sunt etiamsi dictis depositionibus non indigeat, et secundum probationem dictorum Testium sic ut premittitur examinatorum teneatur Potestas causam decidere ad penam duorum ducatorum.

De Interrogatorijs dandis ad Testes Cap. XXIJ.

Si Citatus ad dandum Interrogatoria ad certam diem et per sex alios dies immediate currentes post habitam articulorum seu Materiarum Copiam illa non dederit sibi imputetur, et Testes examinentur sine Interrogatorijs; Potestas tamen teneatur eos interrogare de causa Scientie, Loco, tempore et quibus presentibus, si tamen post prefatos dies nondum perfecto examine darentur per partem interrogatoria illa recipiantur et super eis interrogentur illi Testes qui adhuc non fuerint examinati, arbitrio tamen Po-

Liber Potestatis interveniente, ne fraus circa subreptionem Testium et Cause expeditionem committi contingat.

De Eo qui Negauerit Se alicuius Filium, Patrem, Matrem vel huiusmodi

Cap. XXIIJ.

Siquis interrogatus à Iudice negaverit se Filium vel Matrem, vel Patrem vel Fratrem Maritum, vel Uxorem cuius in Veritate Filius, vel alias respective erit vel suam dignitatem negaverit, vel Officium, vel Notarium qui in Loco ubi ipse interrogatus exercet artem Notariatus, et pro tali habeatur, et postea probatum fuerit etiam per solam famam, quod negaverit Veritatem, puniatur in tres ducatos pro qualibet vice dummodo non ostendat se iustam Causam ignorantie, et nihilominus talis negatio nullius sit efficacie.

De Restitutione in Integrum petita à Minore

Cap. XXIIIJ.

Si Restitutio in integrum per Minores principaliter postuletur oblata petitione et Lite contestata vel habita pro contestatá utraque pars per omne Genus probationis doceat de Iure suo infra XX dies utiles, quibus elapsis Iudex auditis Par-

Partibus causam intra decem dies continuos decidat sub pena trium ducatorum pro medietate parti et pro alia Comunitati applicand. et nihilominus causam prefatam infra alios decem dies terminare teneatur, si vero incidenter postulata fuerit restitutio terminari debeat causa infra xxv. dies currentes, alias incidat in prefatam penam pro medietate ut supra applicand.

De Restitutione Cameræ Comunitatis
Cap. xxv.

Comunitas Terre Ocricoli et eius Camera in singulis suis Lesionibus in integrum restituatur Camerario et Regulatoribus infra quinquennium à tempore lesionis petentibus per Iudicem coram quo fuerit postulata et in causa procedi debeat summarie simpliciter, et de plano sine strepitu et figura Iudicij. Et si Adversarius in causa produxerit aliqua Iura contra Comunitatem, dicte Comunitati non currat terminus nisi postquam Officiales prefati dictorum Iurium Copiam habuerit

De publicorum Instrumentorum Productione et illorum Executione
Cap. xxvj.

Si Creditor publica Instrumenta in Iudicio coram Potestate producat contra principaliter obligatum

illaq

illaque debite executioni demandari cupiat, citari faciat prius Reum ad videndum productionem illorum et dicendum contra, qui sic Citatus possit copiam productorum petere, et exceptiones quas putat sibi competere prima die post traditam seu oblatam copiam obijcere possit exceptiones vero que contra prefata Instrumenta obici possint sunt hec, videlicet Solutionis, seu satisfactionis pacti de non petendo perpetuo vel ad tempus rei iudicate, prescriptionis et falsitatis dumtaxat, quas exceptiones possit debitor opponere, vel earum aliquam, et oppositas probare debeat infra octo dies utiles computandos á die exceptionis opposite, quod si Potestas impeditus non potuerit per seipsum Copiam dare exemplandum alteri petentis expensis exhibere teneatur ad penam duorum Ducatorum; Si vero exceptio aliqua de prefatis non fuerit opposita, vel fuerit opposita et non probata infra prefatorum terminum dierum, tunc Potestas interloquendo mandet Instrumentum, vel Instrumenta exequi et absque alia Citatione fiat Executio realis vel personalis Creditoris arbitrio. Et si personaliter capiatur detineatur donec Debitor et expensis satisfecerit et electa una Via quo ad aliam preiudicium Sibi parasse non intelligatur et Debitor qui non probaverit exceptiones oppositas puniatur in Iulios Quindecim et ab executione prefato modo facta non audiatur appellans, sed si se bonum Ius fovere in-

iuraverit super negocio de quo agitur facta inte=
grali solutione debiti ab eodem cum effectu audi=
atur de dicto suo bono Iure docere volens &

De Fide Instrumenti Sumpti ex Prothocolis Notarij defuncti

Cap. xxvij.

Item Statuimus et ordinamus ut Instrumento sum=
pto seu exemplato de aliquibus abbreuiaturis vel
Protocollis vel publico Instrumento Notarij defuncti
non adhibeatur fides nisi exemplatio fiat parte
citata et in presentia Domini Potestatis, et unius
Notarij à Prioribus ad id deputati cum eorum subscri=
ptione adhibita et signo quam Potestas et Notarius
prefati facere teneantur ad petentis Instantiam, et
tunc dicto exemplo sic sumpto atque subscripto ste=
tur, et hec adhiberi statuimus ne circa talium Instru=
mentorum subscriptionem fraus aliqua committatur &

De Apocis priuatis et illarum Executione

Cap. XXVIIJ.

Apoca seu alia Scriptura que à partibus vel ab ali=
qua ipsarum sit scripta vel à Tertio scripto et à par=
tibus seu ab altera earum subscripta si à parte
confiteatur, vel sit recognita per duos Testes qui

qui manum Scribentis vel Subscribentis medio Iura=
mento recognoscant, executioni mandetur contra Scri=
bentem, vel Subscribentem sicut publica Instru=
menta; Et idem observetur etiamsi à neutra ex
partibus fuerit scripta vel subscripta sed duobus
Testibus notata, et ab eisdem vel ab aliis recogni=
ita. Apoca vero quę à Tertio est confecta et
ab uno Teste tantum vel neutro subscripta non
habeat prefatam executionem nisi fuerit ut supra
recognita et duobus Testibus comprobata.

De Executione Instrumenti Do=talis et Donationis propter Nuptias

Cap: XXIX.

Si Executio Instrumentorum dotalium et donatio=
num propter Nuptias Mulierum, et quorumcumque
aliorum ex quibus aliquid debeatur sub solo no=
mine Dotis coram Potestate à Muliere vel
eius Heredibus et Successoribus petatur exhi=
bitis dictis Instrumentis et citatis Debitoribus
absque aliqua alia Solemnitate per Iudicem exe=
cutioni mandentur contra Debitores, et illorum
Heredes et quoscumque Possessores bonorum ta=
cite vel expresse obligatorum, et nulla possit con=
tra dicta Instrumenta opponi exceptio nisi fal=
sitatis et Solutionis, sive Satisfactionis, quas

quas sive earum aliquam opponens infra octo dies
Vtiles à die productionis Instrumenti et Copie exhi=
bite computandos probare teneatur, et si non proba=
verit in tribus ducatis condemnetur opponens et ela=
psis otto diebus et exceptionibus non probatis po=
natur Mulier sive eius Heredes seu habentes
causam ab ea in possessionem bonorum immobi=
lium vel Mobilium Creditorum prout agens
elegerit et Mobilia teneat Mulier per decem
dies, Immobilia per triginta dies continuos qui=
bus elapsis citatis Debitoribus dupplici Banno
precedente per Loca solita, si aliquis inveniatur
Emptor vendantur plus Offerenti, vel Emptore
non apparente tantum de bonis prefatis insor=
lutum dicte Mulieri vel eius Heredibus et
Successoribus assignetur quantum ad debitam
sibi quantitatem cum decima parte pluri, per qua
dationem in solutum efficiatur Domina, et defenda=
tur per Potestatem et Ipsa, vel illa cui data sunt
ipsa bona insolutum cui voluerit vendere vale=
at, possint tamen Debitores vel eius Heredes
infra tres Menses immobilia, Mobilia intra Men=
sem à die dationis in solutum recuperare si cum
effectu solverint quantitatem pro qua fuit facta
Missio et Executio prefata, quibus elapsis em=
ptio dictorum bonorum firma remaneat e quo ac
si à dictis Debitoribus, vel eorum Heredibus et Suc=

Successoribus met respective facta fuisset, et dicti Debitores vel eorum Heredes, et respective Successores teneantur de Evictione generali et particulari dictorum bonorum à prędictis Creditoribus ut pręmittitur Venditorum, non secus ac si Ipsimet ut supra vendidissent.

De Executione Testamentorum vel alterius ultimæ Voluntatis
Cap: XXX.

Potestas pro tempore Terrę Ocricoli coram quo Testamentorum, Codicillorum vel alterius ultimę Voluntatis executio petita fuerit ad instantiam eius cuius interest teneatur prefata Testamenta Codicillos vel alias ultimas voluntates executioni demandaré in bonis Defuncti super omnibus contentis in eis et maximé in relictis adpias Causas Hospitali Ecclesijs, vel alijs Pijs Locis vel Pauperibus in quibus omni tempore procedatur prout procedi etiam mandamus in dictis Causis simpliciter et deplano sine strepitu et figura Iudicij, et omni Iuris et Solemnitate omissa et nisi infra octo dies continuos á tempore productionis dictarum ultimarum voluntatum aliqua Legitima exceptio fuerit opposita et approbata Iudex exequatur dictas ultimas voluntates, et causa terminetur

infra

infra viginti dies continuos subpęna duorum ducatorum Comunitati applicandorum, et contra Debitorem fiat effectualiter Legitima Executio &

De Executoribus Testamentorum
Cap. XXXI.

Si Vltimarum Voluntatum Executores tam pro relictis pro Anima Defuncti, quam pro alijs quibuscumque Legatis exequi voluntatem voluerint Testatoris, Potestas cui exhibita fuerit ultima illa Voluntas per publicum Instrumentum teneatur ad illorum petitionem eis efficax auxilium prestare ut possint exequi voluntatem prefatam sine strepitu et figura Judicij, teneaturque dictus Judex ad Instantiam prefatorum vel unius illorum absque omni solemnitate probationes cuiuscumque generis illę sint recipere, et diligenter perquirere et ex eius Officio investigare bona Defuncti contra detinentes illa vel illorum aliquod etiam minimum ad penam duorum ducatorum &

De Lucro Dotis et Donationis propter Nuptias
Cap. XXXII.

Consumato Matrimonio si Vxor moriatur non existentibus Liberis ex ipso Matrimonio, Vir Lu=

Lucretur Donationem propter Nuptias, videlicet quartam partem dotis datę vel promisse, seu alias satisfactę. Vxor vero mortuo Marito non existentibus Liberis ut supra debeat habere de bonis Viri quantum est quarta pars dotis, et in quolibet Instrumento dotali et Matrimonio pacta huiusmodi apponantur et apposita intelligantur virtute presentis Statuti per quod tacitam bonorum Mariti vel Vxoris hypothecam pro predictis omnibus Casibus inductam esse volumus etiam respectu adhuc constantium Matrimoniorum et ita seruari debeat nisi de expresso partium consensu aliter in dotali Instrumento cautum fuerit.

De Repetitione Dotis
Cap. XXXIIJ.

Mulier quę soluto Matrimonio vult dotem repetere elapso anno à die Mortis sui Viri et non ante petat executionem Instrumenti dotalis secundum formam superius traditam, Sed interim dicto anno durante prestentur dicte Mulieri per heredes seu bonorum possessores Mariti alimenta secundum quantitatem dotis et qualitatem Persone et in domo ipsorum heredum, nisi aliqua iusta Causa voluerit ab illa recedere quo Casu teneantur Ipsi Heredes illa prestare, et solvere ad rationem Septem pro Cente=

Centenario. Si vero constante Matrimonio dotem in casibus à Iure permissis repetat, procedatur sicut in alijs casibus Civilibus per Statum dispositis. Si vero repetat ex eo quod dicat Virum ad inopiam vergere de hoc facere teneatur Mulier Legitimas probationes per Testes idoneos et non sufficiat ei probasse per Viri met confessionem, et aliter agere volens non audiatur.

De Alimentis petitis per Viduas Cap: XXXIIII.

Si alimenta petantur per Viduam etiam lite pendente super repetitione dotis unica citatione premissa ut supra mandet, et omnibus Iuris et facti remedijs Potestas cogat Viri heredes, aut bonorum possessores ut illi prestentur alimenta donec Dos dotali Instrumento Iudici exhibito contenta fuerit integre persoluta possint tamen dicte Persone Legitimas exceptiones si quas habent opponere quare ad id non putaverint se teneri, quos infra quinque dies probare Opponens teneatur, alias si non probaverit, et calumniose opposuisse innotuerit, possit Potestas opponentem punire in pena duorum ducatorum.

78

Liber

De Executione facienda pro Mandato alimentorum

Cap. XXXV.

Executio Mandati alimentorum non solum contra Virum, Socerum et Heredes ipsius et eorum bona fieri possit; Sed etiam contra Possessores rerum obligatarum pro dote ipsius realiter, et personaliter; Et si Possessor noluerit solvere alimenta fiat missio in possessionem dictorum bonorum &

De Fructibus Dotis

Cap. XXXVI.

Dotis fructus ad rationem Septem pro Centenario quolibet taxentur, et solvantur pro oneribus Matrimonij post moram non solutae dotis vel non restitutae; In quam moram transacto die destinatae solutionis ipso facto absque alio Ministerio interpellationis statim Debitores, vel eius Heredes, vel Successores incidisse, et incurrisse intelligantur &

Secundus

De Venditionibus Rei Dotalis vel pro Dote Obligatæ

Cap. xxxvij.

Venditio rei dotalis, vel pro dote obligate per Virum, vel Socerum, sine solemni Vxoris sive Nurus consensu alicui facta non valeat et Potestas ostenso Instrumento dotali expellat illico talem Emptorem in eius possessione existentem, et Mulierem ponat et illam defendat et Virum vel Socerum, vel Heredes eorum qui rem ipsam vendiderunt seu quovis modo alienaverunt cogat ad satisfaciendum dicto Emptori vel eius Heredibus de pretio ab illis habito ac de damnis et interesse que occasione talis Emptionis passi sunt. Et nihilominus tales Venditores teneantur pene nomine Scuta decem absque aliqua diminutione solvere, si prefatum sceleser commiserint.

De Negligentibus in Exhibendo Apodissas quas contra aliquos Mortuos habere dicunt

Cap. xxxviij.

Qui habuerit aliquam Apodissam contra Aliquem mortuum qui post mortem Ipsius presens Debitor ris tacuerit per Octo annos nec aliquid ex illa petierit ab Heredibus Mortui, de cetero nullatenus

nullatenus audiatur; Et quantum ad Apodissam sibi silentium imponatur et processus vigore talis apoce non valeat, nec talis Mortui heredibus in aliquo preiudicet &

De Fideiussoribus

Cap. XXXIX.

Siquis Ocricolanus vel Habitator Terre prefate se obligando pro aliquo Ocricolano, vel habitore promiserit, teneatur Potestas modis omnibus quibus potest omissis Solemnitatibus ad prefatorum Fideiussorum instantiam cogere Principalem ut eosdem Fideiussores extrahat, et Liberet à fideiussione et obligatione prefata si dicti Fideiussores per triennium in obligatione stetisse probetur. Et hoc etiamsi Fideiussor prefatus nec condemnatus nec conventus ea de causa adhuc fuerit que non habeant Locum in fideiussoribus et obligationibus de evictione et Censu solvendo; Et nihilominus teneantur Principalis, vel eius Heredes quandocumque Indemnes conservare Fideiussores eosdem, non obstante quacumque temporis Longinquitate &

De Alienatione eiusdem Rei facta duobus

Cap. XL.

Si aliqua res primo uni fuerit vendita, deinde idem

Secundus

idem Venditor illam eamdem rem alteri secundo
vendiderit, vel quovis titulo alienaverit prima ven=
ditio si sit Legitime facta, et primo Emptori tra=
dita fuerit possessio vere, vel per constitutum
stabilis et firma remaneat, et secunda et alia sub=
sequens Venditio sit Cassa, et invalida ac nullius
roboris, vel momenti iudicetur, et Potestas primum
Emptorem in possessionem inductum in illa tueatur
et Venditores vel eorum Heredes, vel Successores
ad pretij ac damnorum et interesse restitutionem
integram teneantur Secundo seu alias posteriori
Emptori, vel eius Heredibus, et nihilominus talem
ut supra duobus eamdem rem vendentem condemnet
Potestas prefatus ad Ducatos quindecim, si
talis res vendita excesserit valorem vigintiquin=
que ducatorum usque ad quamcumque summam;
Sed si illius valor non excedat Summam XXV.
ducatorum solvat pene nomine ducatos quinque.

De Volentibus uendere partem suam de ré Communi
Cap. XLI.

Siquis habens rem communem cum aliquo et partem
suam vendere uoluerit suum Consortem in illa requi=
rere teneatur ut dictam partem emat pro iusto pretio
et quod ab alio vere, et absque aliqua fictione ha=
bere potest, qui ita requisitus si nollet emere in Iudi=

Iudicio declaraverit tunc Licitum sit Consorti cui voluerit vendere; Sed si Consors requisitus declaraverit se velle emere, et postea in emptione cessaverit per quindecim dies tunc talis vendere volens factis debitis intimationibus, et datis dilationibus Vicinis per presens Statutum dandis, et faciendis Cuicumque alij vendere possit &c

De venditoribus cessantibus tradere Possessionem, et Emptoribus soluere pretium

Cap. XLIJ.

Venditor nolens seu cessans possessionem tradere Emptori qui iam pretium solverit vel incontinenti solvere sit paratus cum effectu teneatur et obligatus sit Emptori prefato ad omnia damna et interesse que propterea Emptor passus fuerit Sacramento Emptoris taxatione Iudicis precedente quod interesse dupplum pretij excedere non possit. Et similiter Emptor teneatur rem ab eo emptam recipere et pretium solvere nec possit eum emptionis penitere perdendo arras et si pretium solvere recusaverit vel cessaverit compellatur per Potestatem modis omnibus ad pretij prefati solutionem et ad damna, et interesse, et expensas propterea à venditore factas et passa respective Sacramento Venditoris taxatione Iudicij similiter precedente &c

Secundus

Quod compellatur Venditor facere ut Emptor libere possideat Cap: XLIIJ.

Teneatur Potestas omnibus iuris et facti remedijs cogere Venditores ut exonerent, et Liberent rem quam vendiderint ab omni onere, et molestia itaquod emptores ipsius rem ipsam pacifice et quiete absque aliqua questione et inquietatione habere et possidere possint, et ex illa fructus percipere et hoc teneatur ducere ad effectum ad requisitionem ipsius Emptoris ad pęnam duorum ducatorum.

De Contractibus Minorum Cap. 44.

Ad obuiandum fraudibus et circumventionibus quibus sepe ac facile solent defraudari Minores cum Reipublicę intersit eos qui adhuc imperfecte ętatis existunt non defraudentur. Statuimus, et Ordinamus quod si Minor quatuordecim Annorum sine Tutoris vel Tutorum pręsentia et autoritate, et Iudicis decreto, et duorum Consanguineorum proximiorum quorum non intersit consensu se ad aliquid dandum, tradendum remittendum vel ad aliquod aliud faciendum obligauerint eius obligatio non valeat, nec in aliquo teneat, sed sit irrita et inanis, et Iuramentum in ea appositum pręsumatur dolo, et metu adiectum, et extorctum, ab

ab illeque non nisi cum partis vocatione faciat absolui per Iudicem Ecclesiasticum. Si vero fuerit Maior quatuordecim, Minor vero viginti tribus annis, similiter eius obligatio non valeat, nec teneat nisi facta similiter fuerit cum presentia et decreto Iudicis et presentia, et auctoritate Curatoris si talis Minor Curatorem habuerit; Si uero non habuerit detur tunc à Iudice specialiter ad hunc actum utiliter gerendum ac cum consensu unius ex proximioribus Consanguineis cuius non intersit et in omni casu Iudex antequam decretum interponat debeat, et teneatur multum bene perquirere veritatem ne Minores propterea ledantur et si aliquis prefatorum qui dicte obligationi Instrumenti interfuerunt et decretum vel auctoritatem vel consensum respectiue eorum interposuerunt fraudem commisisse probetur per publicam famam per quatuor Testes idoneos probatam per Dominos Priores pro tempore in vigintiquinque ducatis pro quolibet qui talia perpetraverint puniantur. Et insuper damna et interesse inde passa Minori soluere teneatur quod si Consanguineos Minor non habeat adhibeantur affines et in defectum Consanguineorum et affinium adhibeantur Vicini; Et Minores huic Statuto renunciare non possint, et renunciatio prefatorum omnium et singulorum solemnitatum sit nulla et invalida

Secundus

De Obligationibus Mulierum

Cap. XLV.

Vt Mulierum Imbecillitati et Sexus Fragilitati consulatur Statuimus et Ordinamus quod in quolibet contractu et dispositione inter Vivos faciendo à Muliere minore Viginti tribus annis in qua ipsa veniat ex tali contractu, et dispositione obliganda, hec requisita adhibeantur videlicet presentia et decretum Iudicis qui debeat interrogare et inquirere diligenter de Causa propter quam Mulier se obligationi subijciat, et nisi viderit Mulieri expedire suum decretum non interponat. Item presentia et consensus duorum ex Proximioribus Consanguineis quorum non intersit, ac consensus presentia et authoritas Tutorum vel Curatorum respective si Mulier habuerit, alias detur à Iudice ad illum actum cum receptione promissionis, et Fideiussoris de utiliter gerendo negotium illud in quo authoritatem respective interposuerint; Si autem Mulieres fuerint Maiores viginti tribus annis intervenire debeat Iudicis presentia et decretum ut supra inquirentis et presentia et consensus duorum ex Consanguineis proximioribus quorum non intersit, vel illis non extantibus duo proximi Vicini, de quorum omnium et singulorum prefatorum presentia, authoritate decreto, et consensu respective semper Notarius de tali Instrumento rogatus expressam mentionem facere teneatur et in illo ad extensum ponere alias si in aliquo prefatorum casuum prefate solemnitates et requisita non fuerint adhibita dicta Mulier sive Minor sive respective Maior in aliquo obligata non existat, dictaque Instru=

Instrumenta et obligationes sint nullæ Cassæ, irritæ et inanes nullumque Ius, nullaque obligatio, et actio vel exceptio contra præfatas Mulieres oriatur. Sed si requisita præfata omnia respective intervenerint sed Notarius in Instrumento de illis seu illorum quolibet Mentionem non fecerit, sed fraudolenter adnotare omiserit puniatur in ducatos quatuordecim pro medietate Potestati et Societati Corporis Christi pro equalibus portionibus, et aliâ Parti sese applicanda, quas solemnitates possit postea si probentur per Testes Instrumentarios vel alias Legitime intervenisse de Mandato Priorum pro tempore dictus Notarius adnotare de quo cogetur alter Notarius et præfatis requisitis Mulier renunciare non possit.

De Pignoribus et Hypothecis
Cap: XLVI.

Statuimus et ordinamus quod si quis habuerit in pignus vel hypothecam aliquam rem mobilem, atque immobilem ante omnia serventur pacta, et conventiones in ipso pignore vel hypotheca per partes adhibita, Quibus cessantibus si Creditor elapso Anno à die contracti pignoris vel hypothecæ dicta pignora vendi voluerit citato Debitore vel semel personaliter vel bis domi coram Potestate ad reluendum pignora, et si talis debitor non reluerit infra terminum quindecim dierum mobilia et Immobilia infra Mensem Liceat ipsi Creditori facto proclamate bis per Locas consueta in

in Terra Ocricoli illud pignus vel hypothecam plus offerenti vendere vel sibi adiudicari facere pro concurrenti quantitate sui Crediti et quod supererit assignetur Domino pignori vel hypothece et talis venditio vel adiudicatio non fiat pro minori pretio duarum partium de tribus communis valoris rei pignorate vel hypothecate alias venditio et adiudicatio sint ipso Iure nulle et debitor tali casu possit cogere Creditorem ad recipiendum rem pignoratam vel hypothecatam pro iusto et communi precio et pro tanto Creditor recipere teneatur sub pena amissionis duodecime partis debiti

De Pignore Iudiciali
Cap. XLVIJ.

In pignoribus rerum mobilium Immobilium et Semouentium autoritate Iudicis captis vendendis seruentur trine subhastationes seu banna ad Scalas Palatij Potestatis ut moris est et vendantur plus offerenti et debitor facultatem habeat Immobilia post duos Menses reluere et mobilia infra quindecim dies quibus elapsis Emptor in possessione rei sic empte defendi debeat per Potestatem et super emptis non possit ab aliquo molestari ad penam unius Ducati et amissionis Iurij quod sibi competere ad illa quomodolibet possit quod si nullus Emptor extiterit adiudicentur Creditori pro quantitate sui Cre=

Crediti, sed prefata adiudicatio dicto Creditori non fiat nisi pro summa que excedat duas tertias partes valoris rei estimate per Æstimatores Communis &

De alienarum litium Redemptoribus
Cap. XLVIIJ.

Litis aliene Redemptor qui post litem motam et non finitam quocumque colore vel titulo litem alienam in se transferre procuraverit perpetuo sit Infamis, et ~~tenea~~ tam turpe commodum quod exinde ei pervenerit applicetur pro medietate Potestati et alia Hospitali dicte Terre Ocricoli et Potestas ad petitionem cuiuscumque Persone et secreto denuncianti teneatur inquirere ad penam quinque ducatorum de eius Salario retinendorum et ad hoc probandum sufficiat in Iudicio publica fama probata per tres idoneos Testes cum aliquali alio indicio Iudicem informante &

De Pœnis Conuentionalibus committendis propter moram uel Culpam non adimplentis promissa
Cap. XL.

Vbi Debitor vel aliquis alius aliquid promittens fuerit in mora vel Culpa non adimplendi promissa sub aliqua pena, illa peti non possit nisi in tantum quantum Actor iuraverit sua interesse, taxatione Iudicis precedente &

Secundus

De Suspectis de fuga
Cap. L.

Nulla Persona de Terra Ocricoli nec quisquam alius eiusdem Continuus habitator possit seu debeat iurari de fuga suspectus pro quacumque Causa Civili sed conveniri debeat debito modo coram Potestate, nisi per duos Testes constet, quod fugam sit breui arrepturus. Si vero fuerit Forensis qui non possideat Stabilia in dicta Terra vel eius Territorio, tunc Potestas constito Sibi extraiudicialiter de Credito ac aliquali fuge suspectione, ne Iudicium elusorium reddatur mandet dictum Debitorem detineri, vel detineri faciat, qui sic detentus relaxetur si paratus sit satisdare et satisdationem idoneam dederit de Iudicio sisti, et Iudicatum solvendo &c.

De Simulatis et fictitijs Contractibus
Cap. LI.

Statuimus et ordinamus quod Instrumenta Contractus et quecumque alia Scriptura, que simulato et fictitio modo et intentione facta esset coffieret nullius sit roboris vel momenti, nec in aliquo preiuditium afferat ei contra quem produceretur etiam quod sit eamet Persona que in dicta Scriptura con-

continetur, absque eo quod opponatur de huiusmodi simulatione. Et si talis Scriptura fieret in fraudem alicuius alterius Persone, quam Contrahentium adeoquod vigore dicte Scripture ficte et simulate veniret preiudicium et damnum Tertij puniatur utens dicta Scriptura ficta et simulata si fuerit Persona ad cuius Instantiam talis Scriptura sic fabricata et confecta fuisset pena falsi, et tamquam falsarius. Alia vero Persona, quam Auctor dicte Simulationis mitius puniatur arbitrio Domini Potestatis sed non minus Viginti quinque ducatorum et hoc habeat Locum tam in presentibus quam presentibus, et futuris Contractibus Instrumentis, et alijs Scripturis. Et nihilominus dicta Scriptura simulata cancellari, et in totum cassari debeat

Item si quis conqueratur quempiam Predecessorum suorum, aliquem quemvis alium fecisse aliquam alienationem, vel quemcumque Contractum alicui suo Consanguineo vel alicui alio de aliquibus bonis fictitie, vel dissimulate in eius detrimentum et damnum et hoc probaverit per publicam famam sine aliquo strepitu et figura Iudicij dictus Potestas non obstantibus in aliquo dictis Contractibus simulatis et fictitijs recuperari faciat damnificato res distractas, vel alias alienatas vi=

vigore contractuum prefatorum et dictos Contractus cassos et irritos pronunciet, atque si facti et celebrati non essent. Qui Potestas in prefatis omnibus casibus ultra probationem per Actorem faciendam de publica fama ut supra teneatur et debeat ex eius Officio se de hoc multum bene informare ab Hominibus de Contrada seu Vicinia sicut premittitur simulate contrahentium de dicta simulatione ad penam decem ducatorum Comunitati dictę Terre applicandorum.

De Instrumento Cancellando per Notarium
Cap. LII.

Item Statuimus et Ordinamus quod Notarius non possit cancellare protlocollum alicuius Instrumenti nisi de mandato illius, vel illorum quorum principaliter interest et ad cuius, vel quorum utilitatem factum est et contrafaciens puniatur in ducatis quindecim et nihilominus ex tali protlocollo possit Instrumentum Iudicio mandato relevari, et in publicam formam reduci non obstante tali Cassatione.

Liber

De Instrumento allegato Suspecto Cap. LIIJ.

Si quis affirmet cum Legitime Cause allegatione et Iuramento se habere suspectum Instrumentum contra se productum, Iudex ex eius Officio parte petente cogat Notarium de Instrumento rogatum et partem producentem ad exhibendum coram eo Protocolla et abreviationes dicti Instrumenti, et si eis concordare reperiatur, suspitio allegata evanescat, et allegans suspitionem et illam non probans, incidat in penam duorum ducatorum, illico arbitrio Potestatis exigendorum &

De tempore dandarum et reluendarum Copiarum et extractus confessione Cap. LIIIJ.

Potestas debeat partibus omnes Copias petitas ad primam diem dare et si nimis magne fuerint ad secundam, vel ad tertiam sub pena quinque Iuliorum Comunitati applicandorum et similiter Pars petens monita intelligatur ad reluendum ad illam diem et non sit opus ulterius citare ad reluendum et tempus dandarum et reluendarum Copiarum non computetur in dilationibus pendentibus et Potestas adnotare vel adnotari facere teneatur in actis diem date Copie ad penam quinque Iuli=

Iuliorum Communitati applicandorum pro qualibet vice qua omiserit adnotare. Item debeat et teneatur Potestas curare ut in causis excedentibus Summam triginta ducatorum, et in quibus agitur ordinarie, fiant extractus, et sint benefacti iuxta Stylum dictę Terrę Ocricoli et deponens pro parte Adversarij non deponat nisi debitam et veram mercedem nec ultra quidquam à Potestate recipiatur et quidquid ultra deposuerit recuperare nullo modo valeat, nec fiant tales depositiones nisi post finitum legitime extractum.

De Venditione rerum Minorum seu Pupillorum facta per Tutores seu Curatores.

Cap. LV.

Vbi alienatio per Tutores, seu Curatores cum Iudicis decreto causa expressa est cognita, et alijs Solemnitatibus à Statuto requisitis fieri contingat de rebus Minorum seu Pupillorum etiam Stabilibus, et constet id factum fuisse in evidentem utilitatem Ipsorum Minorum, seu Pupillorum, vel saltem si non in evidentem utilitatem, non in detrimentum fuisse appareat talis alienatio valeat et teneat sed si ex ea se nimis gravatos fuisse docerent tales Pupilli, et Minores etiam facti Maiores

et

et usque ad eorum ętatis annum Trigesimum possint tales venditiones irritas facere et annullare, et Potestas constito ei de prędictis teneatur reponere in Possessionem tales sic gravatos et Lęsos ad pęnam duorum ducatorum Comunitati applicandorum.

De Læsione
Cap. LVJ.

In omnibus Contractibus et negocijs in quibus Masculus, et Fœmina reperitur Lęsus, vel Lęsa ultra tertiam partem eius quod agitur tunc tales Contractus ex eo Capite rescindi possint, et Juramentum censeatur tunc dolose appositum et nihilo fieri

De Arræ datione
Cap. LVIJ.

Arræ datio in quolibet Contractu perficiat emptionem nec Liberetur Emptor volens arram perdere, nec Venditor volens arram reddere dupplicatam et hoc locum habeat quando expressum fuit quod pecunia quę tradebatur dabatur pro arra; Et si arra data fuerit pro Vino degustando precedente, vel subsecuta periculum devastationis sit Emptoris.

De Euictionibus

Cap. LVIII.

In Evictionibus possit apponi pena dupli ac etiam exigi à Venditore qui dolose alienavit. Sed si non appareat fraudem commisisse, sed bonam fidem in alienatione forsan habuisse pena dupli in totum exigi non possit, sed pro tanto dumtaxat, pro quanto Emptor sua probaverit interesse.

De Obligantibus Se ad factum

Cap. LIX.

Ille qui promisit aliquid facere ubi posest adimplere factum promissum cogatur precise ad factum adimplendum de quo stetur arbitrio alicuius boni Viri à Prioribus in partium discordia eligendi alias si adimplere promissa non valeat teneatur ad interesse parti iuxta Iuramentum partis principalis, taxatione Iudicis precedente.

Quod Colonus requirat Proprietarium tempore Vindemiarum et Triturationis

Cap. LX.

Colonus non possit vindembiare Vineam ab eo conductam nec frumenta triturare nisi prius Ipse denuntiet vel denunciari faciat Domino per duos dies ante Vindembiam, vel triturationem faciendam ad penam unius Scudi

De recusantibus stare Locationibus ab Eis factis

Cap. LXI.

Omnes Locationes et Conductiones bona fide factę observari et custodiri debeant ad unguem et volens Locationes ab eo vel de eius Mandato et Consensu factas revocare et non attendere dicendo quod non teneant seu sub quovis alio quęsito Colore vexet Conductores contra formam Locationis predictę non audiatur in Judicio nec extra sed semper tales Locationes predictę cum eorum Instrumentis sint ratę et firmę cum eorum tenoribus et Capitulis et plenum robur obtineant et modis omnibus effectum sortiatur nisi Locatores in solutione pensionis cessaverit ad hoc ut quilibet Ocricolanus possit sine Litigio in rebus et possessionibus eis Locatis in pace permanere, et in rerum Locatarum possessione ut supra teneatur Potestas Conductores defendere.

De Negligentibus in petendo Pensiones

Cap. LXII.

Dominus proprietarius rei Locatę vel in Emphiteusim concessę, si per multos Annos cessaverit petere pensionem, vel affictum, non possit pro ulte=

ulteriori tempore petere, quam octo Annorum proxime preteritorum tantum, si pro illis non fuerit satisfactum si tamen Conductor vel Emphiteuta probaverint se pro tribus Annis proxime preteritis solvisse presumatur pensionem, seu affictum pro toto tempore fuisse solutum &

De Diuisionibus
Cap. Lxiij.

Habens rem Communem cum aliqua Persona possit petere diuisionem et obtinere Sibi adiudicari pro parte eum tangente, et super hoc summarie procedatur, et Iudex constito sibi de Comunione dictam rem diuidat, et diuidi faciat per Peritos in arte, vel alios Practicos Viros, et partem rei contingentem adiudicet parti pro diuiso et Causam prefatam decidat infra quindecim dies à die petite diuisionis que diuisiones sic facte sint valide et firme &

Qui possint petere diuisiones
Cap. Lxiiij.

Item Statuimus et Ordinamus quod Omnes qui habent rem Communem que diuisionem patitur eius diuisionem ut supra petere et obtinere ualeant ac etiam Minores et Pupilli possint petere diuisionem bonorum heredi-

hereditariorum communium cum alijs heredibus vel alijs quibuscumque Personis et eis adiudicentur in partes prout melius et utilius fieri poterit et Fratres bona Communia possidentes possint petere divisionem quae fiat Causa cognita, et hortatione prius per Potestatem et Priores facta ut in Communione et pace vivere velint imò si cognoverint quod illa absque rationabili causa petatur, possit Potestas etiam sub cominatione penarum petentes terrere ut videat si à tali intentione removere possit petentes et si hoc non valeat obtinere fiat divisio per Fratrem Maiorem cum interventu duorum expetentium divisionem proximioribus et eis non suspectorum, et partium ut supra factarum electio spectet ad fratrem minorem, alias facta divisio sit nulla, et invalida, nisi aliter Potestati prò faciliori ipsorum Fratruum seu aliorum dividentium concordia visum fuerit &

De non impediendo debitas Servitutes Cap. LXV.

Nullus per se vel alium faciat Aedificium de aliqua materia, vel aliquod aliud in aliquo loco in preiudicium antiquae et Liberae servitutis seu Conventionum et pactorum, et qui contrafecerit solvat pro pena Carolenos viginti et nihilominus teneatur destruere apparatum vel impedimentum appositum, et rem in pristinum statum reducere &

De prohibitis Ædificare uel aliquid Construere

Cap. LXVJ.

Si alicui iudicialiter prohibitum fuerit ne edificet vel aliquod opus in aliqua Terra, Domo, vel aliquo quovis Loco fatiat et non cessaverit, incontinenti teneatur Potestas illud opus constructum post prohibitionem destrui facere ad instantiam nunciari facientis expensis Constructoris; Si vero sic prohibitus cesset ab opere incepto, et compareat coram Potestate et offerat cautionem de opere destruendo si apparuerit eum iniuste edificasse, et tale Opus fecisse, tunc remittatur arbitrio nunciari facientis an dictam Cautionem recipere velit, vel docere de Iure suo infra octo dies, et si Viam probationis de suo Iure elegerit et infra dictos dies octo non probaverit, dictis octo diebus elapsis admittatur ad edificandum prohibitus absque Cautione aliqua sed nuncians possit postea docere de bono suo Iure per supervenientes de novo probationes infra terminum unius Mensis à die elapsi primi termini octo dierum computandi infra quem si concludenter coram Potestate per Nunciantem probetur de bono Iure ipsius removeatur edificans et destruatur opus iam factum expensis Construentis. Si uero infra prefatum Mensem à die ut supra computandum nihil fuerit probatum concludenter

tunc

tunc desuper ulterius nullo unquam tempore audiatur etiamsi nova Iura ei supervenisse dicat nisi quoad estimationem et valorem Loci seu sitis ad nunciantem spectantis &c.

De Exceptionibus
Cap. LXVII.

Conuenti non semper in principio Litis sed quandoque in fine exceptiones opponunt; Et ideo non opponentes à principio exceptiones que impediunt Litis ingressum opponere volentes non audiantur post factas probationes, exceptiones impedientes Litis ingressum sunt hec que nullo pacto possint per Iudicem in Litis fine reservari ut exceptio Iudicis incompetentis Litis alibi pendentis rei iudicate iuramenti Litis decisori deferendi transactionis Litis finite petiti compromissi, pendentis termini ad perficiendum Inventarium pacti de non petendo ad tempus excommunicationis prescriptionis. Et iste impediant Litis ingressum si Legitime probantur sin aut Opponens non probaverit puniatur in unum ducatum si maliciose fecerit ad differendum, et obyciens exceptiones post factas probationes presumatur calumniose opponere, et Cause expeditio interim non retardetur &c.

De donationibus inter Virum et Vxorem
Cap. LVIII.

Inter Virum et Vxorem et inter Sponsum et Sponsam non valeat, nec presumatur donatio nisi in actu desponsationis facta, et in Casibus à Iure permissis &c.

De Donationibus inter Viuos.
Cap. LIX.

Vt fraudibus quę in Donationibus frequenter et facile committuntur occurratur. Statuimus et ordinamus quod Donationes quę inter Viuos irreuocabiliter fiunt, talis forma in illis seruari debeat videlicet quod de illa rogari debeat Notarius publicus, et approbatus qui sit de Terra Ocricoli et in presentia trium Testium ad hoc uocatorum in quorum Notarij publici et Testium eorumdem presentia, et illis videntibus incontinenti post prefatum à Notario prefato Donationis Instrumentum, Donans in eodem folio Instrumenti donationis se propria Manu subscribat vel si scribere nesciat vel non possit alium Loco Sui adhibeat et alias facta donatio non valeat nullumque Ius Donatario ex illa acquiratur, nec

nec aliqua obligatio vel actio oriatur. Et insuper ubicumque donatio prefata excedit Summam seu valorem Centum ducatorum insinuari debeat intra quinque Menses à die celebratę Donationis alias prefata Donatio nullum habeat effectum etiamsi omnia alia supradicta requisita servata essent et aliquo prefatorum deficiente Donatio nulla sit. Et Iuramentum in ea appositum de non contraveniendo nihil operetur. Et in Insinuatione facienda duos Testes sufficiat Notarium adhibuisse, Insinuationique faciendę renunciari non possit &c.

De Donationibus Causa Mortis Cap. LXX.

Item Statuimus et ordinamus quod omnia in precedenti Capitulo disposita in omnibus et per omnia servari debeat in Donationibus Causa Mortis nisi quoad numerum Testium. Nam in Donatione causa mortis quinque Testes volumus adhiberi, et nisi quoad Insinuationem et nisi omnia in precedenti Capitulo et in Instrumento contenta serventur Donatio causa mortis sit irrita et nulla, nullumque Ius Donatario ex ea acquiratur nullaque oriatur nec exerceri valeat actio &c.

De Iurium productione et retardantibus illa producere

Cap. LXXI.

Actor siue Reus qui Iura et Scripturas cuiuscumque generis producere uolens illa et illas exhibere et producere debeat coram Iudice parte citata ad dicendum contra nisi esset in Casu in quo in exhibitione facienda pars citanda non esset et illa producere et exhibere debeat in tempore convenienti, et non usque ad extremum malitiose retardare qui siue actor, siue Reus sit Instrumenta, et privatas Scripturas usque ad finem omnium terminorum vel dilationum et concessarum malitiose producere distulerit, hoc Casu non parti contra quam producuntur auferatur defensio opposita probanda detur noua dilatio arbitrio Iudicis moderanda, et idem si examen differri contingat, vel testium publicationem ex aliqua iusta Causa et si Instantia perimeretur, ille qui malitiose Causam retardaverit siue Actor, siue Reus semper expensas teneatur reficere &c

De altercantibus super eadem possessione
Cap. LXXII.

Si duo vel plures de eadem possessione contendant et neuter velit agere sed altercanter inter se quisquam dicat se Possessorem et in Possessione velle insistere si adsit probabilis timor ne partes ueniant ad arma. Potestas ex eius Officio auocata ad se possessione terminum prefigat utrique parti octo dierum utilium ad docendum de eorum possessione, et eum qui melius aptiusque de actuali possessione, et suo Iure docuerit in possessionem manuteneat et defendat omnibus Iuris et facti remedijs, et cogat alios adversarios cavere de non turbando, nec molestando ulterius, et ad agendum super possessorio ad recuperandum possessionem amissam siue alio quocumque remedio statuet terminum trium Mensium ad agendum, quo termino elapso si agi ceptum non fuerit Potestas ad partis petentis instantiam perpetuum silentium imponere debeat quod si illo agere ceperit, tunc causa infra quadraginta dies utiles à die incepti Iudicij inchoandos omnino terminetur &

De Cessione Bonorum
Cap. LXXIII.

Ad Cessionem bonorum vel ad quinquennales, seu similes dilationes non admittantur nisi Calamitosi tan-

tantum, et qui Se fatalia damna, et fortuitos Casus, vel adversa alia post contracta debita incurrisse docuerint à quibus Lusores, dissipatores, et qui scientes Se soluendo non esse magnos sumptus fecerint et multiplicia debita contraxerunt omnino excludantur.

Quomodo sit procedendum in Causis discutionis prioritatis et posterioritatis
Cap. LXXIIII.

Si Sint plures Creditores unius Debitoris cuius bona Omnibus sufficere non creduntur, omnes Creditores qui Se in posseßionem bonorum Debitoris immitti à Potestate petierint, mittantur per Potestatem in illorum poseßione in adiudicatione autem, et in solutum datione bonorum prefatorum illi preferantur qui priora, et potiora Iura reperiuntur habere, Et Chyrographarij Creditores nisi Scriptura scripta sit, vel subscripta à Debitore, et bino Teste notata post Creditores Instrumentarios concurrant cessantibus omnibus Collusionibus et fictionibus, quę in Causis huiusmodi ut plurimum solent machinari; deprehensi autem in aliqua fictione, vel mendacio ut indigni et abhominabiles repellantur à Causa et credita eorum si quę vera haberent amittant et

pena nomine solvere teneantur ducatos decem et insuper teneantur ad damna et Interesse per aliquem Creditorum passa, et propterea incursa &

De Fideiussoribus Conueniendis vel Non.

Cap. Lxxv.

Creditor habens Debitorem principalem, et Fideiussorem Sibi ex eadem re, et Causa in quantitate et Specie obligatos prius conveniat Principalem Debitorem, deinde in defectum principalis non valentis solvere vel recusantis conveniat Fideiussorem, nisi Fideiussor fuerit obligatus in forma Camere, vel ut Principalis quo casu possit Fideiussorem ante, et postea, vel simul convenire &

De pacto Creditoris cum uno ex pluribus Debitoribus

Cap. Lxxvj.

Si Creditor plures Debitores habens ex eadem Causa in solidum obligatos et faciat pactum non tamen personale cum uno ex dictis Debitoribus de certa portione debiti in genere non petenda vel proseguenda illud idem pactum gratiosum cum alijs Debitoribus obseruare teneatur &

De Pręscriptionibus hypothecæ ac personalium actionum inducendis contra Negligentes in petendo Debitum Cap. LXXVIJ.

Creditor negligens in petendo Debitum ex causa mutui, depositi, vel alicuius cuiuscumque Contractus per quindecim annos non audiatur ulterius sed sibi efficaciter obstet exceptio dicti temporis, quod etiam vim habere decernimus contra Omnes Creditores etiam Ius hypothecę habentes, si Corporalem actualemque possessionem adepti non fuerint vel si interruptam pręscriptionem Judiciali vel saltem extraiudiciali interpellatione per tres Testes probanda per quam huiusmodi pręscriptio interrumpatur Legitime non docuerint ex ea pręscriptione extinctam et sublatam esse actionem statuimus et induci solutionis pręsumptionem exceptis dotibus et donationibus propter Nuptias et Creditis Communitatis. Et quando Creditores fuissent Minores vel hęredes alicuius et exceptis Mulieribus vel Fideiussoribus qui pro principaliter obligatis solverint nam non obstante temporis Longinquitate principalis vel eius hęredes teneantur solventem conservare Indemnem &

De Compromissis inter Coniunctos faciendis. Cap. LXXVIIJ.

Ad tollendum et terminandum Lites et Controversias

inter

inter Coniunctos usque ad tertium Consanguinitatis
vel affinitatis gradum secundum Ius Canonicum
computandum exortas, Statuimus, et Ordinamus
quod ad unius partis Instantiam Potestas cogere de=
beat aliam partem ad faciendum Compromissum in
duos probos Viros ac discretos, qui Homines sic
electi terminare, et componere debeant dictas Lites
iuxta terminum, et potestatem eisdem in Compromis=
so traditam, et comprehensam, super qua forma ter=
mino, vel potestate vel de Personis eligendis si dicti
Consanguinei minime fuerint concordes, tunc Pote=
stas cogat Partes iuxta formam, terminum, et po=
testatem eius arbitrio, et Conscientia imponendam
ad ita compromittendum sub pena eiusdem arbitrio im=
ponendam et sub simili pena cogat Homines ele=
ctos componere et dictas Lites terminare, a quorum
determinatione, et Sententia, seu Laudo nullo modo
partes possint, nec valeant reclamare, seu appellare
sed si aliqua partium in magna quantitate et ultra
tertiam partem quantitatis sive rei de qua agitur
se Lesam et gravatam sentiat, possit arbitrium
boni Viri petere cui stari omnino debeat et nul=
latenus ab illo confirmatorio prime pronuntie au=
diatur appellans.

Quibus Casibus Compromiſsum fieri peti poſsit et Tertij aſsumptione
Cap. LXXIX

Statuimus et Ordinamus quod diſposita in proximo precedenti Capitulo intelligantur et locum ſibi vindicent in Cauſis non liquidis, ſeu quę de facili liquidari non poſsunt, et Cauſę liquidę intelligantur Inſtrumentorum, Apocarum, etiamsi facta eſset mutatio Perſonarum non obstante quod aliqua extrinsecus ueniret liquidanda, quę poſsent liquidari per aliquam probationem quam in promptu dicat Actor ſe habere, nec per oppoſitionem alicuius exceptionis intelligatur res facta dubia et prefata intelligantur quando agitur executivè non autem quando agitur ordinariè et in ipſo proceſsu producuntur Instrumenta ad probandum et Cauſam instruendam nam hoc Caſu Compromiſsum peti poſsit. Et in euentum quod electi inter Se discordent, vel eis aliquod dubium oriatur tunc fiat electio Tertij omnino qui tertius eligatur à Poteſtate partibus non ſuspectus, et eligatur ſecundum Naturam Cauſę et difficultatem contingentem ut ſi habeat cauſa articulos Iuris Eligatur de Peritis in illa. Et ſi Poteſtati videatur non expectetur diſcordia Arbitrorum ſed à principio fiat electio Tertij in ſingulis compromiſsis incontinenti poſt electionem Arbitrorum &c.

Liber De Causis Commiſsarijs Cap. LXXX.

Quia evenire potest quod Illmus et Remus pro tempore dicte Terre Gubernator velit alicui aliquā Causam de dicta Terra commitere; Statuimus et ordinamus quod nihilominus coram tali Judice Commiſsario seruari debeant in iudicando Statuta Terre Ocricoli alias Sententia ab eo ferenda sit nulla nisi aliter fuerit ei Mandatum à dicto Illmo et Rmo pro tempore Gubernatore &c.

De Sportulis Cap. LXXXI.

Quamvis Potestas Terre Ocricoli tanquam Judex Ordinarius Sportulas aliquas recipere non deberet et suo Salario contentus manere deberet nihilominus ut aliquo Lucro allicitus causas Libentius uideat et decidat. Statuimus et Ordinamus quod pro qualibet Sententia difinitiua habeat nomine Sportularum Potestas in causa à decem ducatis infra Carolenum unum à parte pro qua Lata est Sententia definitiva seu decretum definitiuum à decem ducatis supra usque ad Viginti quinque Carolenos tres à Viginti quinque usque ad quinquaginta Carolenos quinque à quinquaginta usque ad Centum Carolenos sex à Centum usque ad Tricentum Carolenos Septem, à Tri=

à Tricentum usque ad quamcumque Summam Ducatum unum cum dimidio qui si maiores Sportulas receperit facto vel promissione statim de Officio cum Infamia expellatur, et talis Sententia sit nulla ipso Iure; In Causis vero Mercedum et Miserabilium Personarum nihil nomine Sportularum exigere possit sub penis prefatis, et in istis Causis summarie procedi mandamus, nec possit in principio Cause vel tempore petitionis, nec in processu Cause aliquod nomine capitum Solidorum ut antea fiebat exigere sub prefatis penis, ac decem ducatorum pro qualibet vice &c

De Appellationibus

Cap. Lxxxij.

Si Ille contra quem Potestas Terre Ocricoli definitive pronunciavit in Causa appellabili duxerit appellandum debeat talis appellare volens infra octo dies à die late Sententie computandos ad Illmum et Rmum pro tempore dicte Terre Ocricoli Gubernatorem appellare et de nullitate et iniustitia Sententie Potestatis dicere ad quem Illmum et Rmum ut supra Gubernatorem semper ab omnibus sententijs et gravaminibus inferendis per Potestatem pro tempore et quemcumque alium appelletur et recursus petatur, et si infra octo dies non appellaverit Sententia Potestatis transitum in rem iudicatam fecisse iudicetur, et executi-

executioni mandari debeat, nec possit aliquis super hoc ignorantiam allegare, cum satis sufficienter per Citationem ad Sententiam audiendam certificatus dici possit quam appellationis Causam infra Octo Menses appellans iustificare prosequi et terminari facere teneatur, quibus elapsis prima Sententia quę fuerat per appellationem suspensa firma remaneat &

De Appellationibus quibusdam non recipiendis

Cap. LXXXIIJ.

À Sententia lata super minori Summa trium Ducatorum non detur appellatio et similiter à Sententia Interlocutoria seu gravamine nullus audiatur appellans nisi talis Interlocutoria habeat vim definitivę Sententię seu aliquod tale gravamen contineat, quod per appellationem à definitiva postea interpositam reparari non possit, nec ante definitivam aliquo pacto liceat appellare nisi ut supra et nisi ab admissione articulorum vel non admissione, et Iurium ad Causam facientium sed omnia gravamina et eorum Cognitio disputatio et definitio ipso Iure intelligantur per hunc Statutum sine iudicantis ministerio reservata in fine, et ideo omnes exceptiones, replicationes articuli Testes, Instrumenta quęcumque intelligantur ipso Iure admissa, salvis exce=

exceptionibus, et Iuribus hinc inde in fine Causæ discutiendis, quo Casu producta et admissa quæ admitti non debeant habeantur pro non admissis, et nullam fidem faciant neque adminiculum aliquod ad movendum Iudicis animum, et Iudex super articulis reservatis non pronuntiando intelligatur illos tacite reiecisse exceptiones tamen quæ impediunt litis ingressum nullo pacto reserventur ut supra, nam si Iudex talibus exceptionibus ante factas probationes in Causa à Convento oppositis non attentis in Causa procedere voluerit tali Casu Liceat grauato appellare

De Sententijs Syndicatorum
Cap. LXXXIIIJ.

A Sententijs Latis per Syndicatores electos ad Syndicandum Potestatem et alios quoscumque Officiales dictæ Terræ Ocricoli nullatenus appellari concedimus, nisi condemnatus ultra Summam XXV. scutorum reperiatur et tunc facto deposito, vel dato idoneo Fideiussore pro Summa Contenta in Sententia habeat recursum ad Illmum D. Gubernatorem

De Apostolis
Cap. LXXXV.

Item Statuimus et Ordinamus quod in Casu quo appellationi deferendum est et ab Appellante fuerint petiti Apostoli, teneatur Potestas infra tres dies do

de illis respondere vel statim si immineat temporis lapsus, et infra tres alios dies Instrumentum appellationis et Copiam Omnium et Singulorum Actorum soluta sibi taxata mercede assignare alias incidat in pęnam trium ducatorum parti petenti applicandorum ultra quod eidem parti teneatur ad damna et interesse propterea per petentem passa ad hoc ut quanto citius fieri poterit dicta Acta transportentur ad Judicem appellationis, et Causę expeditio citius valeat obtineri &c.

Quando Secundo appellare licitum sit et quando non

Cap. LXXXVI.

Item Statuimus et Ordinamus quod à Sententia lata per Judicem de appellationibus cognoscentem, seu de nullitate primę Sententię, seu de reductione ad arbitrium boni Viri nullus audiatur appellans, nisi quatenus esset infirmatoria primę diffinitivę seu diffinitivę uim habentis in totum vel pro parte quo Casu in parte infirmationis appellari possit ad eum ad quem iusserit Illmus et Rmus pro tempore Gubernator, à Sententia vero Judicis appellationis quę sit conformis cum Sententia Potestatis in eo in quo Conformis existit nullo pacto appellatio concedatur sed dictę duo Sententię faciant rem Judicatam et illorum uigore deueniatur statim ad executionem &c.

Secundus

De Nullitatibus

Cap. LXXXVII.

De nullitate primę Sententię non audiatur Agens nisi per spatium Octo Mensium à die Latę Sententię computand. de nullitate vero secundę Sententię casu quo secundo Liceat provocare infra tres Menses à die Latę Sententię secundę numerandum in quibus non desideretur alia Litis contestatio, sed Actor possit suam Intentionem iustificare per processum primę et Secundę Instantię respective, seu aliter prout potuerit, alias Instantia pereat, et si contra allegantem nullitatem fuerit Lata Sententia non audiatur ulterius appellans.

De Instantijs et Fatalibus

Cap. LXXXVIII.

Quoniam satis utile imò necessarium est ut Litibus quanto citius finis imponatur ideo Statuimus et Ordinamus quod in prima Instantia causa Civilis terminari debeat infra annum à die Litis contestatę vel habitę pro Contestata numerandum, in Secunda Instantia scilicet in Causa appellationis terminetur infra octo Menses à die responsionis factę de Apostolis à Judice à quo. Quibus terminis seu Instantijs respective decursis Judex teneatur ad rei Instantiam causam desertam pronunciare, et Actorem in expensis condemnare si vero hoc evenit propter Negligentiam seu Judicis procrastinationem, possit hoc docto obtine-

obtinere restitutionem adversus Lapsum prefatum ab Illmo et Rmo Gubernatore ad alios quindecim dies currentes, quibus elapsis et causa, non expedita prima Sententia mandetur executioni vel Actori imponatur perpetuum silentium respective &

De Sententiæ Executione
Cap. Lxxxix.

Quilibet Potestas Terre Ocricoli teneatur ad partis petentis Instantiam exequi Sententias, Arbitria, Arbitramenta, et Lauda tam ab ipso, quam ab eius Predecessoribus vel Arbitris vel Arbitratoribus respective latas, seu lata á quibus non datur appellatio vel si datur appellatum seu Contradittum non fuit vel appellatio interposita infra tempora á Statuto prefixa prosecuta, et terminata non fuerit &

De Expensarum Refectione
Cap. XC.

In Expensarum repetitione nullus ordo Judiciarius servetur sed solum Iuramentum Victoris et Iudicis taxátio sufficiat, et Potestas in qualibet Causa Victum Victori ad illas condemnare teneatur exceptis Casibus in quibus aliter per Statuta disponeretur et id facere debeat non obstante quod de Calumnia sit iuratum vel in Sententia omissa fuerit expensarum Condemnatio, nec suffragetur

Victo

Victo allegare quod habuerit iustam Causam Liti=
gandi nisi Litigator cumprimum cognoverit se ma=
lum Jus fovere Liti et Causę cesserit, nam tunc
volumus excusari &c

De Successionibus ex Testamento.
Cap. XCI.

Filiæ Fœminę vel Neptes natę ex Filijs pręmortuis
seu filiabus competenter dotatę à Patre, Matre
vel Auo, Avia tam paternis, quam maternis, necnon
à Fratribus, sint contentę dotibus, quas Pater, Ma=
ter Auus Avia vel Fratres earum in Testamento
vel alia ultima voluntate seu inter vivos dederint
vel relinquerint nec occasione Falcidię seu Supplementi
Debiti iure naturę aliquod petere possint ab heredibus
Patris, vel Matris ultra id quod Pater, Mater, Auus
Auia vel Fratres earum pro Dote condecenti reliquerit
seu dederint respective in Vita sed semper Testamentum
et ultima Voluntas Patris Matris et Aui Auię et Fra=
trum robur habeant nec possint per Ipsas Filias vel Ne=
ptes ut supra dotatas seu Ipsarum heredes per quam=
cumque viam vel alio modo impugnari &c

De Successionibus ab Intestato
Cap. XCII.

Vt inter succedere volentes ab Intestato occasio dis=
cordię et Litigandi tollatur, Statuimus et ordinamus
quod

quod si quis vel si qua decesserit Intestatus vel Intestata relictis Filijs Masculis seu Filio vel Nepote ex Filio Masculo sibi premortuo et Superstitibus Filiabus Feminis una vel pluribus maritatis et dotatis Ipse Filie Femine Nupte in nullo succedant Patri seu Matri ab intestato decedenti sed sint contente dotibus pro eis datis; Si vero dicte Filie Femine peruenerint ad Viduitatem tunc reverti possint cum dote et Fructibus dotis quorum tunc Creditrices reperientur ad Domum Paternam et habeant de bonis paternis in domo congrua alimenta secundum facultatem et potentiam Domus fructus tamen dotis dum alimentantur in Domo paterna, debeant esse fratruum seu heredum Patris. Et hoc in futuris locum habeat et quod dictum est de filiabus intelligatur de Nepotibus natis ex Filijs seu Filiabus maritatis et dotatis et idem Juris esse volumus in Filiabus, et Neptibus non maritatis nec dotatis quibus non est constituta Dos per Patrem vel Auum seu Matrem, et Fratres dummodo Frater vel Fratres Germani eas dotent commodo petenter secundum conditionem illorum de Domo sua et Facultatem Patrimonij, alias succedant dicte Femine cum Masculis prout Jura disponunt.

De Succedentibus in Dote
Cap. XCIII.

Dos data ab Auo Nepti, à Patre Filie, vel à Fratribus

Sorori

Sorori soluto Matrimonio per obitum Neptis, Filię, vel Sororis respectivę si ex dicta Mulierę supersint Filij vel Filię ex prefato Legitimo Matrimonio procreatę vel procreati respectivę tunc in eius Dotę succedant illius Filij vel Filię pro ęquali portionę qui predicti Filij, vel Filię si omnes decesserint antequam pervenerint ad ętatem annorum quinque Dos eorum, vel earum Matris revertatur ad Dotantem vel eius heredes. Si vero decesserint postquam postquam pervenissent ad ętatem prefatam quinque Annorum tunc Pater illorum, vel illarum integrę succedat in illa &

Quod in Ferijs et Festiuitatibus Infrascriptis Ius non reddatur Cap. xciiij.

Quia partim pia ac Laudabili Consuetudinę partim ex Diuino pręcepto introductum fuit ut in quampluribus anni diebus propter honorem et reuerentiam Omnipotentis Dei et Sanctorum eius in Terra Ocricoli Ius non reddatur quinam sint isti dies presenti Capitulo adnotare voluimus, videlicet in Nativitatę Dni Nostri Iesu Christi et eius Vigiliæ cum tribus diebus sequentibus, Circumcisionę Æphifania Domini in Festivitatibus Sanctę Marię videlicet Conceptionę, Purificationę, Assumptionę, Annun=

Annunciatione Nativitate et Visitatione in Festiuitatibus quatuor Evangelistarum item quatuor Doctorum Ecclesie in Inventione et Exaltatione Sancte Crucis in Nativitate Sancti Joannis Baptiste. Item in die Sancti Laurentij in Ascensione Domini in Festo Pentecostes cum duobus sequentibus diebus in Festo Corporis Christi in Festivitatibus Duodecim Apostolorum in Festo Omnium Sanctorum et in die sequenti pro Commemoratione Fidelium Defunctorum.✝ Item in Festiuitatibus Sanctorum Fulgentij, Victoris, Medici et Sancte Corone totius Terre Ocricoli Aduocatorum. Item in omnibus diebus Dominicis totius Anni et à Dominica Palmarum usque ad diem Lune post Octavam Paschatis Resurrectionis, in omnibus diebus Veneris Martij. Item in Festivitatibus Sanctorum quorum Ecclesie reperiuntur in Terra Ocricoli vel eius Territorio, ac in omnibus alijs diebus Festivis de precepto Sancte Romane Ecclesie vel Illmi Dni Episcopi Diocesani nec Ius reddatur à quinto decimo die Iunij exclusive usque ad Octavam Assumptionis Beate Marie de Mense Augusti ob Ferias Messium et à Festo Nativitatis Beate Marie de Mense Septembris usque ad quintum decimum Mensis Octobris inclusive pro Ferijs Vindembiarum. Item in Octo diebus Carnis privij, et in die Cinerum

✝ Item in Festiuitatibus SS. Nicolai, Catharine, Iuliane, Bordonij, et Maccarij.
approbo
Horatius Gigli Nos

Secundus

De Represalijs Cap. XCV.

Si aliquis Creditor à Potestate et Prioribus Terre Ocricoli contra Homines alicuius Civitatis Terre vel Castri Represalias sibi concedi desideret compareat coram prefatis Potestate et Prioribus et coram illis ante omnia iuret in eorum Manibus quod hec non petit animo calumniandi sed quod vere est Creditor illorum contra quos petit deinde prefatis plenam et indubitatam fidem faciat per publica Instrumenta vel per Apocas scriptas seu subscriptas à Debitore et tribus Testibus idoneis recognitas alias in debito descendente ex Contractibus non concedantur. In debito vero descendente ex maleficio constare faciat petens per quatuor Testes quorum duo deponant de visu, et duo de fama quibus ostensis Potestas et Priores prefati faciant certiorem de hoc per Nuncium vel Literas Communitatem contra quam petuntur Represalie, et eam requirant ut placeat Sibi cogere seu Cogi facere et adstringere Debitorem ad satisfaciendum et solvendum ea in quibus Petenti represalias tenentur. Et si dicta Comunitas non fecerit satisfieri tunc Potestas et Priores prefati debeant dare, et concedere petentibus represalias et liberam potestatem capiendi et capere faciendi de bonis et rebus illius

illius Civitatis et Homines illius Civitatis Castri
vel Terre de qua sunt Debitores prefati et Potestas
ad Instantiam Creditoris qui beneficium represalia=
rum meruerit habere astringi facere et sequestrari
Personas et bona illorum qui sunt de Terris, et
Locis contra que represalie sunt Concesse, et
alia Iuris et facti remedia adhibere contra Com=
munitatem et Homines, et eorum bona pro satis=
factione Crediti illius consequenda et Homines
et bona prefata retineant donec Creditori fuerit
integre satisfactum, non tamen possint dicte repre=
salie sic concesse exequi Contra Homines qui
in Civitate, Castro, vel Terra illas concedente
reperiantur tempore concessionis sed contra illos
homines et bona que post concessionem prefatam
se exhibuerint de novo vel eorum qualitercumque
Copiam fecerint, nec tempore Septimane Sancte
Passionis, et Resurrectionis et tribus diebus an=
te et ipsa die Festivitatis Sancti Fulgentij, et
alia post dictam diem represalie exequi non
possint ad penam Viginti quinque Ducatorum
Societatibus dictorum Sanctorum respective
applicandorum nec contra portantes grasciam
ad Terram Ocricoli exequantur, nec concedan=

concedantur nisi pro Summa excedente numerum Quinquaginta Ducatorum alias Concessio sit nulla et invalida

Infra quod tempus liceat Operarijs vel Famulis Mercedem petere
Cap. XCVJ.

Statuimus et Ordinamus quod nullus Famulus vel Operarius possit petere Mercedem suam post Annum à die quo pretendit Seruitia impendisse et à Domino discessisse vel Laborasse transacto vero dicto Anno ulterius non audiatur, sed eis obstet prescriptio dicti temporis

Libri Secundi
Finis

Liber Tertius

De Criminalibus

De His qui admittuntur ad accusandum
Cap. I.

Statuimus et ordinamus quod nulla Persona accusare vel denuntiare possit, vel admittatur ad accusandum aliquem de aliquibus Criminibus, excessibus vel delictis nisi suam vel suorum iniuriam usque ad tertium gradum inclusiue de Iure Canonico computandum prosequatur, de homicidio vero Incendio falsitate rotaria assalimento de nocte violentia Mulierum, assassinio unicuique de Populo Licitum sit accusare Obnoxium.

De tempore ad accusandum
Cap. II.

Si quis commiserit aliquod maleficium et contra eum infra sex menses accusatio facta non fuerit non possit ulterius accusari exceptis homicidio, furto robaria, falsitate pace fracta assassinio, de quibus infra tempus Iure Comuni statutum accusatio proponi possit.

Liber

Quo Ordine et modo sit in ac=
cusatione procedendum
Cap. III.

In accusationibus hoc ordine procedatur, quod accusare aliquem intendens de aliquo malefi=cio vel delicto debeat iurare coram Potestate Se indubitanter credere accusationem ab eo prepositam esse veram et quod non est calum=niosa quà accusatione proposita et Iuramento prestito debeat Iudex ex Officio Testes exa=minare super accusatione, et contentis in ea ne delicta remaneant impunita et accusans Testes idoneos Iudici subministrare teneatur pro verificanda eius accusatione ac etiam Se obligare teneatur de solvendo penam impositam à Statuto si non probaverit accu=sationem saltem semiplene.

De pœnis incurrendis ab Accu=
satore non probante suam
Accusationem
Cap. IIII.

Qui aliquem accusaverit de excessibus ex quibus pena Capitalis vel alia Corporis afflictiva venit imponenda, et non probaverit

ut supra, solvat nomine pene ducatos quinde=
cim et torqueatur tribus Ictibus funis in
casu succumbentie necnon in damnis, expensis
et interesse per Accusatum propterea passis in
quibus omnibus condemnari debeat in Sententia
absolutionis Accusati pro quibus solvendis
vel quoquovis modo satisfaciendis astringi debeat
si opus fuerit, et carcerari donec prefata per=
solverit; Si vero accusaverit aliquem de
excessibus ex quibus pena pecuniaria venit
imponenda et Accusans similiter non probave=
rit ut supra sed succumbuerit, solvat duca=
tos quinque, et damna et interesse parti pro=
pterea Lese restituat.

De modo citandi Reos et proce=
dendi in Criminalibus
Cap. V.

Statuimus et Ordinamus quod accusati vel inqui=
siti habitantes in Terra Ocricoli vel eius Terri=
torio citentur hoc ordine videlicet; Quod Ac=
cusatus vel inquisitus bis citetur personaliter
vel Domi dimissa Copia affixa diversis diebus
quod veniat coram Potestate certa die ad res=

xx8

respondendum accusationi vel Inquisitioni contra Eum exhibite vel formate. Qui sic bis citatus si in comparendo negligens contumaxque fuerit iterum peremptorie citari debeat ad videndum se pronunciari haberi pro confesso nisi comparuerit infra octo dies si habitaverint in Terra Ocricoli, sive eius Suburbijs, si vero in Territorio infra decem dies et si in dicto termino non comparuerit et ut supra accuse vel Inquisitioni non responderit habeatur pro confesso de omnibus in accusatione, vel inquisitione contentis, et contra Eum tanquam vere Contumacem, et Confessum Potestas procedere valeat

De modo procedendi contra Reos Forenses
Cap VI

Forenses qui non habitant in Terra vel Territorio Ocricoli ibi tamen ratione delicti forum sortiuntur debent edicto Potestatis citari in quo nomen accusati vel inquisiti et delictum super quo proceditur contineatur, et assignetur terminus quindecim dierum à die Citationis computandorum ad comparendum, et respondendum accuse vel Inqui-

Inquisitioni contra Eum exhibite et formate in quo termino si non comparuerit proposito alio simili edicto assignetur alius terminus xx dierum à die elapsi primi termini numerandus in quo si comparere non curaverit habeatur pro confesso de omnibus contentis in inquisitione vel accusa, et contra eum procedatur tanquam contra vere confessum

De obseruandis per Iudicem Reo accusato vel inquisito Comparente

Cap. VII.

Comparente Accusato vel Inquisito, Iudex faciat per prefatum Reum=met respondere accuse, vel Inquisitioni, prestito prius Iuramento et si Accusatus vel Inquisitus fuerit de maleficio, ex quo sit pena imponenda corporalis, talem sic Accusatum, vel Inquisitum comparentem poni faciat in Carceribus; Si vero ex maleficio de quo imponitur pena pecuniaria tunc datis fideiussoribus idoneis de solvendo penam in qua fuerit Legitime condemnatus ad se defendendum in sua Libertate relinquatur, quibus peractis Potestas procedat ad examen Testium, et ad faciendum omnia, et singula que in Causis, et

et Processibus Criminalibus per Statuta, et illorum defectum per Iura Communia requiruntur quę Causę criminales terminari, et finiri debeant per Sententiam infra Sexaginta dies continuos à die responsionis factę per Accusatum, vel Inquisitum, vel eius Contumaciam numerandos sub pęna quinque ducatorum de Salario Potestatis retinendorum et Comunitati applicandorum, et nihilominus Causa ipsa terminetur omnino per eumdem Iudicem infra decem alios dies immediate sequentes, alias solvat pęnam arbitrio Illmi et Rmi pro tempore Gubernatoris &

De Requisitis ad formandum Inquisitionem in Casibus inquibus permittitur.

Cap. VIII.

Statuimus et ordinamus quod antequam formetur inquisitio habeatur per Potestatem de delicto, vel maleficio sufficiens informatio per Testium receptionem de qua apparere faciat in actis eius Curię qui teneatur ponere, vel poni facere in Libris Inquisitionum extenso modo omnes Testes, et eorum dicta attestationes, et omnes, et singulas qualitates delictorum per=

perpatratorum ad eorum notitiam perventas tam pro Curia contra Reum, quam pro Reo contra Curiam ad pęnam quinque ducatorum per eum ipso Iure incurrendam, et Societati Corporis Christi applicandam. Et si prefata omnia servata non fuerint inquisitio nulla sit, nec ex ea ad aliquam Sententiam procedi possit.

De responsione Reorum et quando admittatur procurator in Causis Criminalibus

Cap. IX.

Statuimus et Ordinamus quod si ex delicto de quo inquiritur contra Reum accusatum, vel Inquisitum venit imponenda pęna in personam, tunc non admittatur Procurator sed Principalis met debeat respondere accusę vel querelę confitendo, vel negando malum de quo accusatur, vel inquiritur contra eum. Si vero ex crimine venit imponenda pęna pecuniaria, tunc Potestas teneatur admittere Procuratorem etiam de respondendo accusę vel Inquisitioni dumodo talis Procurator habeat speciale mandatum ad respondendum accusę vel Inquisitioni et caveatur idonee de solvenda condemnatione; Et nihilominus in Casibus in quibus non

70 A

non admittitur Procurator teneatur Iudex etiam vinculo Sacramenti ex eius Officio diligenter pro innocentia Accusati, et Inquisiti investigare, et Testes de veritate facti informatos interrogare, et examinare et in actis adnotare et describere, vel describi facere ea que faciunt pro Reo quemadmodum pro Nocentium delictis indagandis, et investigandis facere solent, et si Ce per malitiam vel desidiam et negligentiam manifestam, facere, et adimplere pretermiserit, et illis non attentis ad condemnationem festinaverit incidat in penam decem ducatorum pro medietate parti et alia Comunitati applicanda, et parti ad interesse teneatur, et in casu quo talis accusatus, vel Inquisitus responderit per Se vel Procuratorem respective et accusam seu inquisitionem negaverit teneatur Iudex anteaquam ad ulteriora procedere possit repetere parte citata etiam cum interrogatorijs partis si dare desideret Testes pro informatione Curie examinatos, vel examinandos

De modo procedendi contra Mulierem accusatam vel inquisitam

Cap. X.

Si de criminibus non multum gravibus Mulier ac=

accusata vel inquisita fuerit vadat personaliter ad respondendum accusę vel inquisitioni ad Ecclesiam Sanctę Marię, aut si voluerit mittat Procuratorem speciale Mandatum habentem ad respondendum cum idonea fideiussione de solvenda condemnatione; Si vero ex Crimine de quo accusatur, vel inquiritur contra eam pęna corporalis veniat imponenda; Et Mulier erit bonę Conditionis, et bono genere nata, tunc Potestas assignet ei aliquam Domum pro Carcere in qua tuto et sine aliqua suspitione permanere valeat data Cautione idonea si Potestati videatur de nemine alloquendo

De Defensione Reorum
Cap. XI

Statuimus et Ordinamus quod Accusato vel Inquisito qui fuerit de Terra Ocricoli vel habitator illius post responsionem ab eo factam et Indiciorum Copiam habitam, si illam habere voluerit statuatur terminus decem dierum ad probandum suam Innocentiam vel alias suas defensiones faciendum

Liber
De positionibus in Criminalibus non faciendis
Cap. XII

Positiones in Causis Criminalibus nisi quando pro violentia expulsiva vel turbativa intentaretur simul Civile et Criminale Iudicium non recipiantur sed articuli fieri et dari possint ab Accusatore, et super illis examinentur Testes ac etiam dari possint articuli per Accusatum vel Inquisitum ad probandum suam Innocentiam et suas defensiones faciendum.

De Testibus cogendis ad se examinandum
Cap. XIII

In Maleficijs cogantur Testes per Iuris et facti remedia ad testimonium perhibendum et si Mulieres sint informate de maleficio et erunt bone conditionis ac bono genere nate destinetur Notarius vel ipse Potestas eat ad earum Domos qui earum testimonium recipiant, et producens eam in Testem Viaticum solvat.

De Questionibus et tormentis, et quomodo sit deueniendum ad illa
Cap. XIV

Etsi Iudices sufficienter à Legibus monentur ut ad tor=

torturam procedere non debeant contra aliquem Accusatum vel Inquisitum nisi legitimis precedentibus Indicijs, tamen quandoque illa precepta non attendentes nimis seviunt in eorum Subiectos. Et propterea Nos eorum sevitiam refrenare cupientes; Statuimus et Ordinamus quod ad Torturam per Iudicem deveniri non possit contra Aliquem nisi forma in presenti Capitulo circa inditia tradita servetur. Nam volumus quod si aliquis, ut publicus Latro vel ut fractor pacis disrobator violator Mulierum, sodomita, Falsarius Instrumentorum vel false monete sive ut stratarum violator vel Proditor Terre Ocricoli, vel ut depredictis vel aliquo predictorum infamatus accuseatur, vel contra eum inquiratur non possit ad ipsius torturam deveniri, nisi id de quo imputatur constiterit saltem per solam famam publicam cum aliquali alio indicio animum Iudicis movente alias si fuerit ad tormenta processum prefatis non servatis processus sic contra tormentatum formatus sit nullus, et nullam habeat firmitatem, nec confessio extorta à tormentato ei in aliquo noceat; Accusati vero, vel inquisiti de alijs quibuscumque excessibus nullatenus torqueantur, nisi id de quo imputantur constiterit per depositionem unius idonei Testis de visu vel saltem per

per Testes de publica fama deponentes et istis precedentibus inditijs respectivo Reus qui requisitus ut confiteatur noluerit confiteri nec suam Innocentiam in termino defensionis per contrarias probationes probaverit, tunc tormentari poterit

De Confessione facta in tormentis

Cap. XV

Confeſsio facta in tormentis inflictis et datis non precedentibus Legitimis inditijs secundum formam traditam in proximo precedenti Capitulo vel secundum Ius Comune in Casibus in quibus per Statutum dispositum non eſset non valeat nec Confeſsio extorta per tormenta aliquod confitenti preiudicium generare poſsit, et Proceſsus desuper formatus nullam obtineat firmitatem

De Homicidio

Cap. XVI

Statuimus et Ordinamus quod si aliquis dolose, vel appensate, et non ad sui defensionem aliquem interfecerit et de eo convictus et confeſsus fuerit Capite puniatur, et eius bona pu=

publicentur si filios vel filias Nepotes vel Nepotes carnales non habuerit et hoc si delinquens apprehendi poterit si autem apprehendi non poterit eius bona publicentur detracta Legitima Filiorum vel Dote Filiarum et nihilominus perpetuo exulare debeat à Terra Ocricoli

De Assassinis
Cap. XVII.

Quæcumque Persona quæ per pecuniam seu precium, et promissionem aliquem interfecerit tam ipse assassinans, quam ille qui per pecuniam vel precium vel promissionem assassinari fecerit suspendatur si vero non occiderit sed eum armis percusserit tam Ipsi percutienti quam mandanti abscindatur manus itaquod à brachio separetur

De Insidiatoribus et Disrobatoribus Viarum
Cap. XVIII.

Insidiatores et Disrobatores itinerum, vel viarum tam diurni quam nocturni tam in Terra quam in hijs eius Territorij, et presertim Viæ Romanæ et in fragranti Crimine repertos, Quilibet sit

sit permissum occidere et si capi poterunt suspendantur in locis ubi disrobaverint vel insidiati fuerint, et qui eos ceperit, et in fortiam Curie tradiderit lucretur ducatos quindecim à Comunitate ei solvendos.

De Frangentibus Pacem
Cap. XIX.

Quicumque Pacem cum Adversario suo factam studiose fregerit per se, vel per alium, et Adversarium atriter percuti et uulnerari fecerit etiamsi vulneratus mortuus inde non fuerit, si capi poterit mittatur ad triremes per tres annos et nihilominus penam secundum formam pactorum in Instrumento pacis appositorum solvere teneatur.

De Securitatibus Ruptis
Cap. XX

Quicumque Securitates de non offendendo prestitas studiose fregerit per se vel per aliam Personam exigantur irremissibiliter vel ab eo, vel ab eius fideiussoribus pene in eis opposite.

Tertius

Quibus Casibus intelligatur fracta pax, uel Securitas rupta, et quibus non Cap. xxi.

Pax fracta et Securitas respective rupta intelligatur per quamcumque violentiam, invasionem ad Domum iniuriandi animo factam; Item per solam uiolentiam et iniuriosam aggressionem et quamcumque percussionem. Item per solam gladij evaginationem, cum admenatione, et relaxatione ictus, etsi non offenderit, etiam cum quocumque genere armorum.

De Verbis Iniuriosis et pæna illorum Cap. xxv.

Statuimus et Ordinamus quod pro verbis iniuriosis agi possit civiliter ad extimationem Iniuriarum ad partis instantiam et ulterius pro pena cuiuslibet verbi iniuriosi solvantur Iulij quinque.

De Exbannitis non Offendendis Cap. xxiij.

Exbanniti non ex Capitali Crimine impune offendi non possint sed offendentes huiusmodi Exbannitos puniantur ac si offendissent non Exban=

Exbannitum. Exbanniti vero vel diffidati ex Crimine capitali possint impune offendi post duos Menses à die condemnationis de eo factæ numerandos et non antea nec minus offendi possit talis exbannitus dum captus duceretur per Executores. Nam tunc offendens illum puniatur pena Capitali si Captus esset pro Crimine Capitali exbannitus et condemnatus. Si vero non ex Capitali Crimine sed ex alio esset condemnatus offendens eum puniatur atque si offendisset non exbannitum neque condemnatum, et insuper incidat in penam quæ veniret puniendus captus à Curia.

De Exbannitis uel Condemnatis et alijs Malefactoribus capiendis Cap. XXIV.

Si quis Exbannitum vel Condemnatum pro delicto commisso in Terra Ocricoli vel eius Territorio ceperit et in fortiam Potestatis vel in eius absentia Priorum pro tempore existentium in Officio adduxerit, habeat tertiam partem penæ in condemnatione factæ vel fiendæ respective contentæ. Si pena autem esset Corporalis habeat Capiens et adducens ut supra ducatos decem vel plus ar-

arbitrio Priorum iuxta delicti atrocitatem et Persone qualitatem, et hoc de introitibus Communitatis infra spatium unius Mensis absque aliqua exceptione, sed si condemnatus fuerit de Forensibus in omnibus casibus in quibus pro Crimine Capitali damnatum, vel Exbannitum quos Captum adduxerit in fortiam Curie ut supra Lucretur Capiens et adducens ducatos quindecim, et plus secundum arbitrium Priorum pro tempore ut supra existentium &c

De Beneficio Pacis et Confessionis Cap. XXV.

Cuilibet Accusato vel Inquisito sponte et pure in prima responsione confitenti Maleficium, seu Maleficia de quibus contra eum procedibur ad penam pecuniariam remittatur quarta pas dicte pene que in talibus maleficijs respective confessatij secundum Statuta et Iura debet imponi; Item alia quarta pars pene remittatur propter pacem habitam ab Offensis vel eius Heredibus ut supra et alia quarta pars pene remittatur propter solutionem factam in tempore, quod tempus ad

ad solvendum condemnationem intelligatur decem dierum à die condemnationis computan.

De Percussoribus cum Armis Cap. XXVI.

Statuimus et Ordinamus quod Aggressores qui ex proposito Faciem alicuius vulnerando insuperabili signo deturpaverint vel cum Cicatrice perpetuo remansura dehonestaverint vel Nasum asciderint vel Oculum effoderint vel Membrum aliquod aliud vel articulum absciderint condemnentur ad penam Triremium pro quinquennio et prefata locum non habeant in rixis subitaneis quę ex improviso et incontinenti ex contentione Verborum et rerum altercatione et alias non premedito Consilio exortę fuerunt in quibus presens Statutum nolumus locum habere.

De Offendentibus Priores Terræ Ocricoli Cap. XXVII.

Offendens Priores Terrę Ocricoli durante eorum Officio puniantur in primis in dupplum penę

offensioni condignę et statutę et insuper detine=
atur in Carcere per decem dies et ultra ad ar=
bitrium Dominorum Priorum nisi Prior prouo=
caverit ad iniuriam, nam isto Casu pęnę prefata
non habeat Locum &c

De Incendiarijs
Cap. XXVIII.

Si quis studiose et appensate immiserit ignem ad
domum alicuius Personę, et Domus illa in totum
vel in parte comburatur etiam si non fuerint ali=
quę Personę in ea existentes aut si existebant ab
Igne intactę remanserint si poterit Capi, puniatur capite
et idem observari debeat contra eos qui studiose
combusserint frumenta &c ~~capite~~

De Apponentibus uel proycientibus studiose aliquid turpe ante ho=stium alicuius Personæ
Cap. XXIX.

Si quis Cornua Stercora et his similia ad limina
Domorum alienarum Personarum studiose immi=
serit affixerit, vel affigi fecerit ad ignominiam
condamnetur in pęnam ducatorum quinquaginta, et

et tribus ictibus Corde, et in penam Exilij à Terra et Territorio Otricoli per duos annos; sed si solvere non potuerit penam prefatam transmittatur ad Triremes per tres Annos si capi poterit sin autem exbanniatur et condemnetur in Centum ducatos pro quibus fiat exequutio in bonis delinquentis.

De Furtis et Furibus
Cap. XXX.

Si aliqua Persona occulte et clandestine surripuerit rem aliquam valoris unius Ducati usque ad quamcumque summam, pro primo furto condemnetur ad solutionem quinque ducatorum nomine pene et rem ablatam restituat Domino unacum damnis et Interesse propterea passis; Pro secundo furto ut supra similiter commisso ponatur per unum diem integrum ad Catenam vel Merlinam Palatij, et nihilominus dupplum valoris rei ablate restituat Domino ut supra et pene nomine quindecim ducatos solvat. Pro tertio furto condemnetur ad Triremes per Triennium et nihilominus dupplum valoris rei ablate re-

restituat Domino et Curie decem ducatos nomine pene solvat. Pro quarto furto notabilis valoris suspendatur in Loco publico penes Viam Romanam, ut omnibus inde transeuntibus sit exemplum &c.

De priuato Carcere
Cap. XXXI.

Quoniam Nonnulli sunt Casus in quibus Licitum est de Iure Comuni et Municipali fortasse Malefactores et Debitores propria autoritate capere, Sed ne quod Iure fit ad Iniuriam redundare possit, Statuimus et Ordinamus quod in Casibus prefatis nullus audeat retinere talem sic captum in Domo sua vel alterius privatę Personę, sed illico debeat illum consignare in manibus Curie et in absentia Potestatis in manibus Dominorum Priorum cum rogitu et presentia Cancellarij dictę Terre, et idem observetur in rebus mobilibus et Semoventibus prefato modo captis alias si non statim consignaverit Curię sed retinuerit per spatium duodecim horarum incidat in penam quinque ducatorum et ad interesse retenti; Si vero nulla Legitima precedente causa vel credito quis aliquam Personam propria autoritate ceperit et retinuerit puniatur in Viginti ducatis et teneatur ad interesse Capto, et Potestas statim quod sciverit modis omnibus eum relaxari faciat &c.

Liber De Adulterio

Cap. XXXI.

Potestas teneatur ad petitionem Patris Matris Avi, Avie, Mariti Vxoris, Fratris Sororis Patrui ut maiora scandala evitentur procedere contra Accusatum vel Inquisitum de Adulterio servato tamen ordine ut ad Proximioris quærelantis Instantiam si concurrerint procedatur, ad quorum Instantiam Potestas mature, et accurate procedere debeat, habita aliquali informatione, et ante omnia iuret quærelans se talem quærelam proponere potius animo evitandi scandala in parentela et pro veritate, quam pro odio alicuius Personæ alias non admittatur prout nec Extraneæ admittantur, et si in Casibus præmissis aliqua Persona reperta fuerit culpabilis et de adulterio convitta tam Masculus quam Fæmina puniatur secundum Iuris dispositionem.

Quod in Maleficijs procedatur de Similibus ad Similia

Cap. XXXII.

Quia difficillimum imo fere impossibile esset Vnicuique excessui pœnam per præsentia Statuta imponere, Propterea statuimus, et ordinamus quod

quod si aliquod delictum, maleficium, vel excessus fuerit commissus pro quo certa pena non sit determinata in presenti Statutorum Volumine in illis procedatur de similibus ad similia et si simile Statutum non reperiatur, recurratur ad Iura Communia &

De Crimine Falsi
Cap. XXXIV.

Statuimus et Ordinamus quod si quis per dolum vel fraudem animo decipiendi aliquam Personam fabricaverit vel fabricari fecerit aliquod Instrumentum vel aliam Scripturam aliter quam veritas se habeat incidat in penam Centum ducatorum, et trium Ictuum funis et damna et expensas parti inde lese resarciat et si ex tali falsa Scriptura quis fuerit ad mortem damnatus vel alias lesus conficiens talem Scripturam vel confici mandans damnetur ipse quoque ad mortem vel alias puniatur in eadem pena prout ille occasione talis false scripture punitus extitit, et in omnibus casibus tale Instrumentum vel Scriptura nullius sit roboris, vel momenti, sed penitus invalida existat &

De producentibus falsas Scripturas et Testes
Cap. XXXV.

Si quis ausus fuerit scienter producere in Iu-

Iudicio falsum Instrumentum vel aliam falsam Scripturam contra aliquem simulando, vel subtacendo veritatem puniatur in ducatos decem, et insuper teneatur ad damnum et Interesse parti propterea Lese et amittat causam in qua talem Scripturam produxerit et simili pena puniatur qui produxerit falsos Testes

De falsificantibus pondera et Mensuras Cap. XXXVI.

Si quis falsificaverit aliquod pondus vel Mensuram scienter teneatur ad quadruplum valoris rei ponderatę et falsiter mensuratę et idem observetur in utentem

De Falso Testimonio Cap. XXXVII.

Qui falsum tulerit Testimonium si fuerit Rustica Persona solvat infra decem dies a die condemnationis numerandos ducatos decem et morari debeat per unum diem ad Merlinam seu Catenam Palatij; Prudens vero Persona falsum Testimonium proferens solvat infra dictum tempus ducatos quinquaginta et omni casu Testis talis Testimonium perhibens perpetuo sit infamis, nec possit aliquo unquam tem=

tempore obtinere Officium aliquod in dicta Terra Ocricoli, et teneatur parti inde Lese reficere omnia damna et interesse et expensas, Et si propter talo falsum Testimonium quis fuerit in aliqua pena corporali damnatus tunc talis Testis falsum deponens damnetur in eadem pena qua ille damnatus fuit et tali Casu omnia bona sua si filios vel filias, Nepotes, vel Neptes carnales non habuerit, Camere dicte Terre Ocricoli applicentur &

De Occupantibus Possessionem alterius

Cap. XXXVIII.

Si quis Fundum Domum vel aliam rem immobilem violenter cum armis invaserit et occupaverit, solvat nomine pene ducatos viginti quinque, et parti expulse statim possessionem prefatarum rerum restituat in statu, et terminis in quibus tempore invasionis reperiebatur et teneatur reficere omnia damna expensas et interesse. Si vero clam, vel alio modo absque violentia sine tamen Iudicis, vel Superioris Licentia solvat Ducatos decem et semper Possessionem absque Iuris solemnitate Potestas restitui faciat cum damnis expensis, et Interesse

passis a Possessore eius Possessione prefato modo privato quem in possessione eiusdem reponat et manuteneat donec fuerit inter Partes discussum de Iuribus utriusque Partis.

De petentibus debitum iam solutum

Cap. XXXIX

Si aliqua Persona malitiose et scienter petierit debitum iam solutum puniatur in ducatis decem si summa petita non excesserit summam viginti quinque ducatorum. Si vero maior summa petita fuerit solvat ducatos quindecim ultra restitutionem summe forsan exacte.

De percussionibus factis cum baculo uel armorum genere cum Sanguine uel sine

Cap. XXXX

Quicumque ex proposito percusserit aliquem bastone seu baculo vel quocumque alio armorum genere si ex percussione sanguis non exierit nec aliquod os fractum fuerit solvat pro pena ducatos XX. Si vero cum Sanguine

ita

itatamen facies lesa non sit, vel os non fractum solvat ducatos quadraginta. Et prefata locum non habeant in rixis subitaneis in quibus ex improviso ut fieri solet in rixa crescente percussiones - incidat in penam duorum ducatorum si ex tali percussione facies lesa vel os fractum sive aliquod aliud membrum abscisum vel debilitatum non fuerit; sed si ex percussionibus illatis in rixis quantumvis subitaneis et non premeditato consilio evenientibus facies alicuius vituperabili signo deturpata vel cum cicatrice perpetuo remansura dehonestata fuerit, vel nasus vel articulus abscisus, vel oculus evasus vel membrum aliquod aliud abscisum vel debilitatum fuerit, tunc taliter percutiens incidat in penam quadraginta ducatorum &c

De percutientibus manu vacua vel cum pugnis

Cap. XLI.

Si quis manu vacua percusserit aliquem in facie vel in capite vel alias cum pugnis si hoc appensate et ex proposito fecerit solvat pro pena ducatos duos si non exierit sanguis. Sed si exierit sanguis ducatos quinque, que locum non habeant in rixis subitaneis in quibus percutiens ut supra teneatur solvere Carolenos quinque &c

Liber
De Blasphemantibus
Cap. XLII.

Blasphemantes puniantur penis in motu proprio fe. recor. S. Pij Papæ Quinti contra blasphemantes edito contentis, que omnia in presenti Statuto pro expressis habeantur.

De euntibus de Nocte post tertium Sonum Campanæ
Cap. XLIII.

Nulla Persona post tertium sonum Campane que ter pulsari debeat cum aliquo intervallo de uno sono ad alium et inter secundam et tertiam horam noctis vadat per Terram Ocricoli sine Lumine sub pena unius Carolen; et unum Lumen sufficiat pro tribus Personis simul euntibus exceptis illis qui per horam vel circiter ante diem irent ad molendinum vel ad seminandum vel alia huiusmodi faciendum ad que peragendum ut plurimum itur de nocte nec Liceat post nec ante dictum sonum Campane etiam cum Lumine ire vociferando per Terram Ocricoli vel eius Suburbia.

Tertius
De Armorum delatione
Cap. XLIIII.

Nemo per Terram Ocricoli nec in Suburbio nisi Advene et Peregrini transeuntes, et Hospitantes valeat portare aliquod genus armorum in prefata Terra vel Suburbio sub pena unius Ducati si portaverit Ensem. Si vero vel Stortam seu ut vulgo dicitur pistolese duorum ducatorum; Portans vero Cultellum gladium palmo Longiorem solvat Carolenos quinquaginta excipiantur illi qui ierint vel redierint foris dum exeunt de eorum Domo, vel ad illas redeunt.

Quibus Casibus pænæ agravantur
Cap. XLV.

Statuimus et Ordinamus quod si delictum vel Offensa fuerit de nocte facta vel in tribus diebus utriusque Pascatis in die Nativitatis Domini, in Hebdomoda Sancta dupplicetur pena prout etiam si offensa fuerit facta et in presentia Potestatis commissa. Item si delictum fuerit commissum in Palatio Dominorum Priorum in Concilio Generali, vel Speciali.

Liber
De Palumbis Turris seu Columbariæ non capiendis
Cap. XLVI.

Statuimus et Ordinamus quod capiens Columbos cum Retibus Laqueis Arcubus, vel alijs similibus in dicta Terra vel eius Territorio puniatur in Carolenis decem pro quolibet Columbo capto vel interfecto &c.

De Termino moto
Cap. XLVII.

Nulli habenti fundum vel Terram aliquã iunctam cum aliquo Terreno vel fundo spectante iure Dominij vel quasi alteri Personæ Liceat sine consensu dictæ Personæ studiose vel malitiose effodere vel amovere, vel mutare Terminum vel Terminos seu Confines existentes inter utrumque Agrum sub pena sex ducatorum, et damna et interesse solvat Vicino quæ mutatio et amotio ut plurimum probari posit per urgentes et verisimiles præsumptiones et conieeturas ut puta si inter dictos Vicinos fuerit, vel esset controversia de finibus agrorum et inveniatur Termini Locus, vel Limes, vel formula et similis res solita dividere dictos Confines immutata præsumatur à Vicino ad cuius utilitatem mutata reperitur, nisi aliter constiterit factum se habere accedente Juramento veritatis partis in cuius damnum mutata appareat, et nihilominus statim per Magistros Via-

Viarum Communis invitis partibus et earum sumpti-
bus reponatur in pristinum Locum et si quis Vicinorum
velit formulam seu fossum reficere non possit talem for-
mulam reficiendo se approximare ad terminum per spa-
tium unius pedis &c

De non permittentibus se pignorari Cap. XLVIII.

Quicumque non permiserit se pignorari ab Executore
Curie cui Legitime á Potestate pignoratio commissa
fuit solvat nomine pene Carolenos quinque et Exe-
cutori credatur cum Testimonio Baiuli &c

De Appellationibus in Criminalibus Cap. XLIX

Statuimus et Ordinamus quod nullus detentus in Car-
cere pro Crimine Capitali de eo post Legitimas ei da-
tas defensiones audiatur appellans si de tali crimine
fuerit per idoneos Testes convictus illudque crimen
fuerit sponte confessus alias nisi concurrant ista
duo appellare possit Carceratus á Sententia condem-
natoria contra eum Lata, Ille vero qui per contumaci-
am capitaliter vel pecuniariter damnatus fuerit
possit appellare si coram Iudice condemnante se per-
sonaliter vel alio Legitimo modo se representet infra
Sex Menses á die condemnationis numerandos uo-

uolens suam Innocentiam purgare in qua Causa tunc audiatur ex integro et probationes eius recipiantur super innocentia, et Innocens absolvatur, et culpabilis condemnetur.

De dubitantibus ad suas Possessiones accedere

Cap. L.

Si quis ad suas Possessiones vel alicuius rei quam possideat dubitaverit accedere, teneatur Potestas dare eius Officiales expensis petentis ut associent ipsum iuste timentem ad eius possessionem accedere, nisi aliud de Iure obstet.

De Grascia non Extrahenda

Cap. LI.

Nulla persona audeat extrahere grasciam de Terra Ocricoli scilicet frumentum, farinam, Ordeum, vel aliquod Legumen vel bladum absque Licentia Concilij specialis cum interventu Potestatis pro tempore excepto pro seminando, et quando non sit in tenimento Terre Ocricoli recollectum sed ab alio Territorio ibi conductum neque Vinum excepto pro necessaria substentatione

labo:

laborantium et qui contrafecerit perdat grasciam extractam et solvat ducatos duos pro pena cuiusque Cubi grascie vel Salme Vini &c.

De retinentibus porcum ad Manum Cap. LII.

Quicumque Otricolanus vel habitator seu alia quecumque Persona retinuerit Porcum ad manum sive nutrierit teneatur retinere ipsum porcum reclusum sic ut per Terram Otricoli vel eius Suburbia solutus non vadat et quicumque contrafecerit solvat nomine pene pro quolibet Porco et vice qua ierit per prefatam Terram Carolenum Unum &c.

De Mensuris Sigillandis Signo Comunis Cap. LIII.

Statuimus et ordinamus quod Potestas pro tempore existens teneatur sigillari facere omnes et singulas mensuras cum quibus uinum venditur in principio sui Officij omnibus uolentibus uinum vendere uel Oleum et ipse Potestas vel eius Officialis faciat iurare omnes Tabernarios et Hospites uolentes vendere quod vendent Vinum cum Ipsis mensuris sigillatis et iustis, et qui contrafecerit et

et cum alijs mensuris non sigillatis vendiderit sol-
vat pro pena Carolenum unum pro qualibet vice
ac mensura reperta non sigillata &c

De Ludentibus ad Ludos vetitos
Cap. LIIII.

Nullus audeat Ludere ad Taxillos seu ad alios Lu-
dos vetitos, et de Jure prohibitos, et qui contrafece-
rit solvat Carolenos duos pro qualibet vice. Item
statuimus et ordinamus quod in Terra Ocricoli
non possint aliqui Ludere ad Ludum et ut vulgo dici-
tur à Rozzolo ferrato aut Ligno, overo Pallama-
glio sub pena trium Carolenorum pro qualibet Vice
et hoc intelligatur in Vijs Magistris, non autem in
Via que vulgo dicitur De Valle &c

De Occidentibus Bestias alienas
Cap. LV.

Si quis occiderit aliquam bestiam grossam alicuius videli-
cet Bovem Vaccam, Equm, Jumentum sive Asinum
studiose, solvat pro pena pro qualibet bestia ducatos
sex et Bestie interfecte valorem cum tertia parte
pluris Domino Bestie solvere teneatur pro alijs ve-
ro solvat ducatos tres pro pena et valorem bestie in-
terfecte ut supra &c

Tertius

De habentibus Bubulcos et Buttaros Sibi servire nolentes

Cap. LVI.

Bubulci et Buttari teneantur deservire pro toto tempore Convento cum eorum Dominis alias si recesserint atque iusta Causa possit Dominus retinere Salarium duorum Mensium illis debitum Loco interesse Sibi debiti propter illorum discessum et ulterius talis discedens ut supra solvat Carolenos octo Potestati nomine pene.

De Viis mundandis et immunditias in illis non proiciendo.

Cap. LVII.

Statuimus et ordinamus quod nulli liceat in Viis publicis vel Vicinalibus, vel Plateis in Terra Otricoli vel eius Suburbio proicere Mortiçinia, Stercora, vel Immunditias aliquas sed debeat unusquisque portare et deferre vel deferri facere extra dictam Terram et Muros dicte Terre et Longe per duas Cannas ad minus à dictis Muris sub pena unius Caroleni pro qualibet vice prout etiam unusquisque teneatur in qualibet Hebdomada mundare et mundari facere ante sua Domum et in quantum se extendunt Menia illius tempore estivo et hyemali vias publicas et Vicinales tam

tam in Terra Ocricoli quam in Suburbiis sub pena
trium bonenorum pro qualibet vice in qua hoc non
adimpleuerit et Potestas teneatur hoc preconizare
facere per diem ante &c.

De Cloacis priuatis mundandis et Cooperiendis
Cap: LVIII.

Quoniam Immunditiæ Cloacarum vel Seiaquatorum in dicta Terra Ocricoli Aerem pestiferum vel alias corruptum et Ruinam Aedificiorum Causare consueuerunt, Statuimus et ordinamus quod quilibet Potestas Terre Ocricoli pro tempore teneatur facere, cooperire et mundare omnes Cloacas privatas et eas abscondere sub Terram ita ut putredo ex illis profluens exire non possit nec in Vijs nec in Plateis, et siquis contrafecerit postquam fuerit semel monitus solvat pro pena Carolenos quinque, et nihilominus cooperire et mundare et prout opus fuerit aptare teneatur &c.

De dissipantibus Vias publicas
Cap. LIX.

Statuimus et Ordinamus quod nulli Liceat dissipare, obturare, vel aliquo modo, vel ingenio deteri=

deteriorare uias publicas vel privatas tam in Terra Otricoli quam in eius Suburbio et illius Territorio sub pena duorum ducatorum et reductionis in pristinum statum et potius in melius quam in deterius reficere infra Octo dies post factum ei preceptum

De Mutatione Viarum
Cap. L.x.

Statuimus et Ordinamus quod quicumque habet Viam publicam vel uicinalem super re sua extra dictam Terram habeat potestatem de Licentia Magistrorum Viarum mutandi ipsam Viam et faciendi super eadem aliam Viam dumodo ista sit melior vel saltem eque idonea; Et ille qui Viam mutaverit et aliam non reddiderit ut supra solvat pro pena Julios decem et uiam in pristinum Locum reponere et reaptare teneatur

De ponentibus Letamen in Viis
Cap. L.xi.

Quicumque posuerit seu coadunaverit Letamen Immunditiam uel aliud simile in Plateis uel Viis publicis dicte Terre et illud non leuauerit tempore hyemali infra spatium quindecim dierum et tempore estiuo infra spatium duorum dierum, solvat pro pena

Jul.

Julios duos postquam fuerit bannitum et denuntiatum per Baiulum, et nihilominus omni Casu infra duos alios dies asportare faciat omnino.

De non macinulando Canepam uel linum in Terra Ocricoli Cap. LXII.

Statuimus et Ordinamus quod nulli liceat macinulare Canepam uel aliud simile intra Terram Ocricoli nec in Suburbio, et qui contrafecerit soluat pene nomine Julios tres pro qualibet Vice.

In quibus Locis debeant fieri bannimenta Cap. LXIII.

Statuimus et Ordinamus quod Castaldus siue Preco qui debet bannire seu preconizare in dicta Terra debeat bannimenta facere et preconizare in Locis antiquis, et consuetis, uel in Locis deputatis per Priores ut dicta bannimenta omnibus audire uolentibus innotescant quod si Castaldus eius negligentia uel fraude omiserit incidat in penam unius Caroleni.

De prohibita reductione Animalium in Terra Ocricoli Cap. LXIIII.

Statuimus et Ordinamus quod nemini liceat reducere et remittere in dicta Terra Ocricoli pecudes, Capras aut Porcos, neque etiam boves nisi tempore consueto et qui contrafecerit solvat pro pena Carlenum unum pro qualibet Bestia grossa, et pro qualibet Bestia minuta bonenos tres &.

De non uendendo Grasciam nisi cum Mensuris Comunis Cap. LXV.

Statuimus et Ordinamus quod nulla persona audeat uendere, nec emere aliquod genus bladorum et frumentorum Canapucij Seminis Lini, Castanearum, et similium rerum que uendi cum istis mensuris consueverunt nisi cum Mensuris Comunitatis dicte Terre Ocricoli et absque solutione et satisfactione mercedis dictarum Mensurarum sub pena trium bolenenorum pro qualibet Vice et nihilominus teneatur solvere mercedem Conductori Mensurarum si tamen uolens dictis mensuris fecerit diligentiam de reperiendo, et habendo dictas mensuras et non potuerit reperire dicto Casu non incidat in penam prefatam sed tantum mercedem dicto Conductori solvere teneatur.

Liber
De mercede Mensurarum
Cap. LXVI.

Quelibet Persona ex Venditoribus cum mensuris Communis predicti teneatur solvere et dare Conductori illarum gemmellas duas pro qualibet Salma seu Rubro dictorum bladorum, seu aliorum de quibus supra, et predictus Mensurarum Emptor non possit ultra accipere sub pena trium Carlenorum pro qualibet vice &c.

De non retinendo pecudes per Macellarium
Cap. LXVII.

Statuimus et Ordinamus quod nullus Macellarius de Ocriculo possit retinere in Tenimento Ocricolano Pecudes, nec easdem macellare in dicta Terra, et si contrafecerit solvat pro pena et nomine pene, pro qualibet pecude Carlenos tres et Potestas teneatur ex Officio perquirere predicta per Inquisitionem denunciam vel Inventionem &c.

De prohibita accessione Potestatis ad Domum alicuius
Cap. LXVIII.

Statuimus et Ordinamus quod Potestati non liceat ingredi Domum alicuius Persone in dicta Terra Cau-

Causa ibidem comedendo et bibendi nisi cum Prioribus dicte Terre nec ad publicu Convivium et si inventus vel repertus fuerit solvat nomine pene tempore Sindicatus Carolenos tres.

De prohibitione Potestatis de non petendo Piazzaticum Cap. LXIX.

Statuimus et Ordinamus quod Potestas pro tempore existens non possit petere Piazzaticum ab illis qui afferunt aliqua genera grasciarum in dictam Terram Ortricoli venalia seu in Burgum qui si contrafecerit solvat pro pena Carolenos duos pro qualibet vice de suo Salario tempore Sindicatus retinendos.

De modo vendendi Grasciam et ubi Cap. LXX.

Statuimus et Ordinamus quod quilibet portans aliquod genus grasciarum venale non possit illud neque aliquam illius partem vendere in aliquo alio loco quam in Platea maiori dicte Terre nisi esset in transitu et nisi steterit per duas horas ad vendendum in ipsa Platea et si quis contrafecerit solvat pro pena pro qualibet vice unum Carolenum et in dicta Platea post Conterrigenas possint emere fo-

Hosterij sed per unam horam postquam ille incepe-
rit vendere

De modo uendendi piscem in Platea
Cap. LXXI.

Quilibet portans Piscem uenalem seu Pisces ad Terram Ocricoli primum debeat vendere in Platea dicte Terre in quadam Petra ibi existente solita, et con-sueta et si steterit ibi per duas horas possit postea vendere in alio Loco et Caupone non possint emere nisi ut in precedenti Capitulo est expressum et si quis contrafecerit solvat pro pena Julios duos.

De solutione Gabellæ pro Extractione Animalium
Cap. LXXII.

Statuimus et Ordinamus quod si quis emerit bestias seu Animalia in Terra Ocricoli vel eius Territorio non possit extrahere illa de dicta Terra predicta et eius Terri-torio nisi prius concordaverit Gabellarios et eis Gabellam taxatam solverit, vel alias satisfecerit et si contrafecerit solvat pro pena Carlenos tres pro qualibet Bestia, et nihilominus Gabellam sol-vere teneatur.

De Solutione facienda per Forenses possidentes bona in Terra Ocricoli uel eius Territorio Cap. LXXIII.

Statuimus et Ordinamus quod Consortes idest forenses qui possident in Terra Ocricoli Domos et eius Territoris Terras teneantur solvere bonenenos octo pro Centenario Librarum prout solvere semper consueverunt, et pro tali solutione fienda astringantur Laboratores et Pensionarij in casu quo non solverint Domini.

De observatione lignandi in Siluis Communis Cap. LXXIV.

Statuimus et Ordinamus quod nulli tam Ocricolano quam Habitatori liceat lignare in Silva nuncupata Vallisfrigida nisi pro usu Domus et nullo pacto liceat eadem ligna vendere; Hospitibus vero dicte Terre nullo pacto liceat lignare in dicta Silva et ligna inde asportare, licet Hospes ebet Ocricolanus pro servitio eorum Hospitij; et si quis contrafecerit solvat pro pena Iulios duos pro qualibet Salma.

Liber

De permissione portandi et retinen=
di Vinum D.nis de Sancto
Vito ad Ocricolum
sine Gabella
Cap. LXXV.

Statuimus et Ordinamus quod Dominis de Sancto Vito liceat afferre et reponere Vinum de dicto Territorio Sancti Viti recolligendum ad dictam Terram Ocricoli immune omnibus omni Vectigalis seu Gabelle solutione, et gravamine et illud ibidem retinere, et vendere absque aliqua solutione Gabelle.

De ordine portandi Vinum ad Ocricolum
Cap. LXXVI.

Statuimus et Ordinamus quod nulli liceat, tam Ocricolano, quam Forensi afferre reponere et conservare Vinum intus in dicta Terra Ocricoli nec eius Territorio animo uenundandi per totum Mensem Iunij sine licentia Generalis Concilij, nisi de eorum proprijs Vineis et Possessionibus, etiam quas prefati Ocricolani haberent extra Territorium Ocricolanum et si quis contrafecerit solvat pro pena Iulios tres pro qualibet Salma et in hoc Potestas ex suo mero Officio procedere possit dum=

dumodo Ocricolani curent habere vinum bonum et vendere iusto pretio reservato in loc si opus fuerit arbitrio Illmi Dni Gubernatoris

De non afferendo Stramum infra certum tempus

Cap. LXXVII.

Nulli ex Ocricolanis seu Forensibus etiam Cauponibus sit permissum afferre Stramum cuiuslibet generis ad Terram Ocricoli vel Burgum, vel eius Territorium ab alterius Terre Territorio per totum Mensem Martij sine Licentia Concilij Generalis nisi esset recollectum in proprio predio etiam extra Territorium Ocricolanum existente, et qui contrafecerit solvat pro pena Carolenos duos pro qualibet Salma

De prohibitione Macellandi certis locis

Cap LXXVIII.

Nulli Macellario dicte Terre macellare et Macellum facere liceat in Strada publica mattonata, et qui contrafecerit solvat pro pena ducatum unum, et nihilominus Macellum inde auferre teneatur

De non lauando ad fontes

Cap. LXXIX.

Statuimus et Ordinamus quod nulla Persona audeat vel presumat lavare vel aliquid turpe facere in fontibus dicte Terre preter in fonte dicta la Can=

Canneta sub pena duorum Carolenorum.

De licentia pascendi Concedenda

Cap. LXXX.

Unicuique Domino suorum bonorum Licitum sit dare Licentiam alteri ad pasculandum cum Bestijs sine pena et stetur Juramento Domini Possessionum.

De prohibitione gabellandi Bestias Forensium

Cap. LXXXI.

Statuimus et Ordinamus quod Priores pro tempore non possint afidare seu gabellare in Territorio Vericoli bestias forensium armentitias preter in Vallefrigida cum transitu per fossatum paretium ad ducendum dictas Bestias ad flumen, reservato tamen quando Communi dicte Terre contigerit vendere plana Vallisfrigide et Silvam dicti Communis et eo casu Liceat Emptori affidare seu gabellare omne genus Bestiarum in Loco affictus preter Pecudes sub pena duorum Carolenorum pro qualibet pecude afidata quas nihilominus teneatur expellere infra tres dies.

Tertius

De non triturando in Platea maiori uel alia dictæ Terræ

Cap. LXXXII.

Statuimus et Ordinamus quod in Platea Communis maiori vel alia Platea dicte Terre nulli liceat triturare Frumentum vel aliquod genus Leguminum sub pena trium Carolenorum pro qualibet vice &.

De ponendo Uncina ad Colla Canum

Cap. LXXXIII.

Statuimus et Ordinamus quod Potestas in principio Mensis Augusti banniri faciat quod omnes illi qui habent Canes solitos stare et commorari foris extra Terram Ocricoli debeant ponere et alligare Uncinum ad Collum cuiusque Canium prefatorum quem debeat portare per totum Mensem Septembris et si aliquis Canis repertus fuerit absque uncino in dicto tempore teneatur Dominus Canis solvere pro pena Iulium unum pro qualibet vice &.

De non retinendo Animalia Forensium

Cap. LXXXIIII.

Statuimus et Ordinamus pro Ocricolanorum et habitantium in dicta Terra utilitate quod nulli licitum sit habere vel retinere ad Soccitam Animalia Forensium et Extranearum Personarum in

in Territorio Ocricoli sub pena unius Ducati et nihilominus cogatur per Potestatem illa dimit=tere nisi legitime docuerit se non invenisse Anima=lia ad Soccitam ab aliquo Ocricolano, vel assi=duo Habitatore dicte Terre Ocricoli.

De quibus et quo tempore non Sol=uitur Gabella

Cap. LXXXV.

Statuimus et Ordinamus quod portantes Mer=cimonia in Terram Ocricoli tempore Festivi=tatis Sancti Fulgentij et Sancti Victoris non teneantur pro illis solvere Gabellam seu aliud Vectigal.

De rebus in festo non vendendis

Cap. LXXXVI.

Nulli Licitum sit in diebus Festivis aliquid emere aut vendere nisi esculenta, et poculenta et illa so=lum post Missarum Solemnia sub pena duorum Carolenorum pro qualibet vice.

De immittentibus ignem in Stipulis et alijs locis ante primum diem Augusti

Cap. LXXXVII.

Nullus audeat nec presumat immittere Ignem in Sti=

Stipulis vel alijs locis Casalium et Agrorum Territorij Terre Ocricoli ante diem primam Augusti sub pena unius ducati; Et nihilominus si Ignis ex huiusmodi immissione alicui damnum aliquod dederit Immittens teneatur damnum emendare et Potestas possit de prefatis inquirere et credatur unico Testi fidedigno de visu cum aliquo inditio; Si uero ex immissione ignis post dictam primam diem Augusti aliquod damnum fieret immittens non teneatur ad penam aliquam sed tantumodo ad emendationem &c

De obseruandis in Soccitis Animalium Cap. LXXXVIII.

Statuimus et Ordinamus quod in Soccitis Animalium tam Ocricolanorum quam habitantium que in Soccitam dantur et recipiuntur ad usum et consuetudinem bone Soccite talis usus et consuetudo ita semper intelligatur videlicet ille qui Soccitam recipit teneatur et debeat cum omni cura et omni bona diligentia et sollicitudine Animalia que in Soccitam habuerit custodire seu custodiri facere et gubernare ita ut sua culpa negligentia vel defectu damnum aliquod non incurrant et si secus fecerit teneatur de suo proprio omne damnum quod inde evenerit reficere et emendare; Sed si adhibita diligentia per eumdem et eius Culpa et defectu cessantibus dam=

damnum aliquod veniret in perditione vel amissione
vel morte alicuius Animalium dicte Soccite tunc
damnum prefatum de communi dictorum dantis
et recipientis dictam Soccitam debeat refici vel emen=
dari, Quicquid autem utilitatis et commodi atque
Lucri in dictis Socciitis durante tempore dicte
Soccite fuerit acquisitum totum intra dantem, et
recipientem in Soccitam comuniter debeat pro rata
parte dividi et bona Soccita finiri debeat si fue=
rit Vaccarum spatio septem annorum Porcorum tri=
um, Caprarum quinque, Equarum septem Asi=
narum septem et finita Soccita Animalium re=
spective, omnia Animalia que in eadem Soccita
reperirentur cum omni eius augumento commodo et
utilitate inter dantem atque accipientem comuniter
dividatur cessantibus fraudibus quibuscumque et
si Soccita fuerit simpliciter contracta intelligatur
semper facta ad supradictum usum et consuetudi=
nem bone Soccite de quibus supra dictum est.

De modo retinendi adstrictum Ocri=colanum pro debito Civili

Cap. LXXXIX.

Statuimus et Ordinamus quod nullus Ocricolanus
adstrictus pro debito ex Causa Civili possit retine=
ri in Carceribus secretioribus et antiquis Palatij Po=
testatis sed debeat retineri in Palatio DD. Prio=
rum cum idonea fideiussione de non aufugiendo
inde

inde sub pena solvendi statim et ipso facto debitu Creditoribus et tantundem Comunitati in penam ipsius fuge &

De recusantibus obedire Prioribus aliquid pro necessitate et utilitate Comunitatis mandantibus

Cap. XC.

Si quis Ocricolanus, uel habitator absque legitima et rationabili Causa vel impedimento recusaverit obedire Prioribus qui aliquid pro necessitate uel utilitate in negotijs Communis preceperint, seu mandaverint, incidat Inobediens in penam quinque Juliorum pro qualibet vice qua inobediens fuerit, que pena debeat applicari pro duabus tertijs partibus Communitati et alia tertia parte Prioribus &

De abolitione accusationis, uel Inquisitionis datæ, uel formatæ contra Offendentes sine Sanguine cum pugnis, uel manu uacua.

Cap. XCI.

Statuimus et Ordinamus quod si aliqui Ocricolani uel habitatores Terre Ocricoli ex improviso, et non appensate devenerint ad questionem et controversiam aliquam et se invicem cum pugnis, vel manu vacua, absque tamen Sanguinis effusione percusserint uel offenderint, et infra quinque dies inter se pacem

fece-

fecerint possint infra prefatos quinque dies à Pote=
state pro tempore cui constabit de prefata pace petere
absolutionem seu cassationem cuiuscumque Querele
accuse vel Inquisitionis desuper porrecte et formate
respective, Et tali casu Potestas teneatur receptis ab
unaquaque partium controvertentium Iulijs duobus pro
pena prefata abolere, cassare et annullare ad petiti=
onem eorumdem sub pena quatuor Carlenorum, nisi ob
aliam legitimam Causam aliud visum fuerit &c.

De mercede et Salario Operariorum
Cap. XCII.

Statuimus et Ordinamus quod Operarij non possint
petere nec exigere pro mercede et Salario sui Operis
pro qualibet die, nisi mercedem in presenti Capitulo
taxatam, videlicet à Festivitate Assumptionis Be=
ate Marie de Mense Augusti usque et per totum Men=
sem Octobris Carlenum unum pro qualibet die, et
à principio Mensis Novembris usque et per totum
Mensem Februarij bolenenos quinque pro qualibet die
à principio Mensis Martij usque ad Messes exclusive
ordei, Frumenti et aliarum Frugum Carlenum
unum, et Operarij qui maiorem mercedem con=
uenerint, petierint vel exegerint incidant in
penam duorum Carlenorum pro qualibet vice &c.

De pœnis spreti mandati in Causis mœre Ciuilibus
Cap. XCIII

Statuimus et Ordinamus quod in Causis mere Ciuilibus nullus Ocricolanus vel habitator Terre Ocricoli qui bona Stabilia in dicta Terra vel eius Territorio possideat damnetur in penam quam solent apponere Potestates in eorum mandatis nisi monitus etiam post quartum et factum mandatum contumax fuerit ita quod in termino primi mandati incidat in penam bolenenorum trium; Si vero in termino secundi Mandati nec eminus comparuerit incidat in penam bolenenorum quinque. Si uero in termino tertij contumax in comparendo incidat in penam unius Carleni, et si in termino quarti mandati fuerit adhuc contumax in comparendo, tunc incidat in penam contentam in Mandato

De modo receptandi forenses
Cap. XCIIII

Etsi Terra nostra Ocricoli habitatoribus indigeat nihilominus non omnes forenses in habitatores et consortium eiusdem sunt recipiendi sed illi tantum qui eorum Vite laudabilis et approbato Testimonio commendantur. Quapropter statuimus et ordinamus quod in futurum Priores Ocricoli pro tempore debe=

debeant curam gerere et se informare de uita et moribus cuiuscumque Persone que venerit ad habitandum in prefata Terra Ocricoli vel eius Suburbio et si infra tres Menses a die quo uenerint ad habitandum computand. Priores pro tempore invenerint dictos Forenses male vite et Morum et Fame esse possint illos cum authoritate Concilii Specialis a prefata Terra Ocricoli uel Suburbio expellere prout expelli facere teneantur Meretrices que uoluerint in prefata Terra, uel eius Suburbio ultra tres dies morari

De applicatione penarum Cap. xcv.

Statuimus et Ordinamus quod omnes et singule pene que in presenti Statutorum uolumine pro quacumque causa contra quoscumque imposite reperiuntur, intelligantur Communitati et Camere Terre Ocricoli applicate et respective incorporate nisi specialiter aliter expressum reperiatur.

De declaratione ualoris Monetarum Cap: xcvi

Quia in presenti Statutorum volumine pluries fit mentio de Scutis, Ducatis, Carolenis, et bononenis ne aliquo tempore circa illorum valorem oriatur dubitatio Statuimus et Ordinamus quod Scutum intelligatur ualoris Centum bolonenorum, Ducatus septuaginta

quinque

quinque bolenenorum, Julius decem bolenenorum, Carolenus bolenenorum septem cum dimidio, et bonenenus intelligatur quinque quatrenorum

De Apibus
Cap. XCVII.

Siquis alienas Apes existentes in alueo corruperit et effugaverit solvat cum estimatione damni nomine pene Scuta duo pro quolibet Cupello et ponatur ad Merlinam quod intelligatur in Cupellis manu et arte fabricatis. Sed si Apes in arbore existentes effugaverit vel alias devastaverit solvat nomine pene Scutum unum pro quolibet ultra penam de incisione arboris aliene. et insuper Domino estimationem damni cum interesse solvere teneatur

Libri Tertij Finis

Liber Quartus

De damnis datis et quomodo procedatur in illis

Cap. I.

Quia valde utile ac neceſſarium est providere ne in futurum tot damna in Vineis Poſseſſionibus et aliis quibusvis bonis Communis Terre Ocricoli et illius particularium Perſonarum et Habitatorum committantur et de commiſsis fiat competens emendatio; Propterea statuimus et ordinamus quod in damnis datis poſsit procedi tribus infraſcriptis modis videlicet per Inquisitionem per accusationem et per Inventionem modis et formis in infraſcriptis Capitulis declarandis et in damnis datis Poteſtas Terre Ocricoli procedere debeat omni tempore summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura Iudicij pro qua indaganda poſsit Poteſtas vel pars que elegerit unam viam, aliam nihilominus intentare donec ad Ipsius damni Inventionem perveniatur ut omni quo poteſt meliori modo damnum committentes puniantur et indemnitati damnum paſsi consulatur.

De Officiali damnorum datorum

Cap. II.

Ut facilius in Cognitionem damnorum datorum per Inventionem devenire poſsit statuimus et Ordinamus quod Poteſtas Terre Ocricoli

retine-

retinere debeat unum bonum Officialem damnorum datorum et extraordinarium qui sit et esse debeat inprimis approbatus in Concilio Speciali qui si approbatus fuerit teneatur in principio eius Officij iurare in manibus Dominorum Priorum pro tempore, quod Officium sibi commissum fideliter et bona fide, et absque fraude aliqua exercebit qui post tale Iuramentum prestitum teneatur assidue et omni tempore ire et diligenter perquirere querere et providere ne damna aliqua tam in Terra Ocricoli, et eius Suburbio quam toto eius Territorio committantur cui Officiali debeat dari et deputari # Dominorum Priorum unus Socius, qui una cum dicto Officiali debeat ire et secundum dicte Terre Consuetudinem inveteratam perquirere damnum dantes, tam personaliter quam cum Bestijs et dicto Officiali auxilium in necessarijs prestare debeat vel saltem deserviat ei pro Teste qui Officialis stare debeat cum ipso Potestate ad Syndicatum, et pro eo teneatur ipse Potestas de omnibus in quibus talis Officialis fuerit legitime condemnatus ~ # arbitrio =

De Impedientibus Officialem et Socium perquirentes damnum dantes
Cap. III.

Item statuimus et Ordinamus quod Nemini Licitum sit impedire seu impediri facere aliquo modo Officialem et Socium eius neque illis facere resistentiam quin-

quin possint ingredi in Vineis et alijs quibusvis posses=
onibus causa inveniendi et recognoscendi damnum dan=
tes sub pena Juliorum quinque pro qualibet vice. Fa=
cientes autem resistentiam eisdem ne possint Animalia ab
ipsis inventa damnum dare ad Curiam Potestatis in
casibus permissis ducere, incidant in penam quindecim
Juliorum si fuerint Ocricolani vel habitatores, Foren=
ses autem trium scutorum, et nihilominus teneantur pe=
nam pro damno statutam solvere et damnum emendare
quod propterea passus fuit Dominus Possessionis.

De modo procedendi per inventionem in damnis datis.

Cap. IIII.

Statuimus et Ordinamus quod si Officialis et Socius
simul inquirentes viderint aliquam Personam vel Animal
damnum dare tunc accedere debeant ad Locum in quo
damnum datur et taliter se illis approximare, ut nisi
aliud legitimum obstaret impedimentum facultatem
tangendi Animal et apprehendendi Personam haberent
et hoc observari statuimus ne propter falsam reco=
gnitionem à Loco distanti de Persona et Animali fa=
ctam Innocens condemnetur quod pluries evenisse mul=
ti testantur. Quo facto si Personam vel Animalia
recognoverint illa quae fuerint Ocricolana, vel alicuius
Ocricolani respective tunc credatur dicto Officiali, et
Socij eum eorum Juramento, quorum attestationes

fa=

faciant contra prefatos plenam fidem atque quod abstulerit aliquod pignus, vel Personam, vel Animalia respective duxerint ad Curiam et tali casu Persona sic inventa, vel Dominus Animalium teneatur ad penam statutam et emendationem damni nisi contrarium eius quod retulerint Officialis et Socius talis Persona vel Dominus Animalium confidenter infra quinque dies per duos Testes idoneos etiam cum eius Iuramento probaverit. Si vero Persona damnum dans erit forensis vel Animalia erunt forensium tunc debeant illam, vel illa si potuerint ad Curiam Potestatis ducere et in aliquo hospitio detineri facere donec de pena et de damni emendatione damnum passo per solutionem vel Cautionem in forma depositi de solvendo id in quo Legitime condemnati extiterint respective vel alias satisfactum fuerit, Et pro Stallatico Animalium, forenses debeant solvere hospiti Iulium unum pro qualibet Bestia grossa pro tota die et nocte pro bestijs minutis bolenenum unum.

De Eodem
Cap. V.

Item statuimus et ordinamus quod si Officialis solus non habens secum eius Socium viderit aliquam Personam vel Animal damnum dare, accedere debeat ad Locum in quo datur damnum, et dictam Personam vel Animal recognoscere ut in proximo precedenti Capitulo dictum

dictum est et si Persona vel Animal damnum dans erit Ocricolana, vel alicuius Persone Ocricolane uel habitatoris tunc a damnum dante vel Domino Animalium solui debeant nomine pene bolenem duo pro qualibet Persona, vel qualibet Bestia grossa, pro minuta autem bolenenus unus, et insuper summa ascendens ad medietatem valoris, et estimationis damni, quod damnum passo absque exceptione solvere teneatur; Si autem Animalia fuerint forensium que gabellata non fuerint tunc credatur dicto solius Officialis pro pena ordinaria et pro integra damni estimatione, et Personam, vel Animalia eorumdem ad Curiam Potestatis ducere teneatur.

De Eodem
Cap. VI.

Item statuimus et Ordinamus ut Licitum sit Domino, Colono seu Conductori vel prefatorum Agenti, qui invenerit Animalia vel Personas damnum dantes in suis vel ab eis conductis vel daminorum suorum bonis capere Animalia aut Personam damnum dantes et illam vel illa statim ducere respective ad Curiam Potestatis quo casu credatur et stetur dicto Domini cum Iuramento et cum dicto Testis quoad omnem penam et totam emendam. Si vero non habuerit Testem tunc soli Domino vel Conductori cum eorum Iuramento credatur, sed pro dam-

damno solvatur solum medietas pene, et estimationis damni; Et si Animalia sint alicuius de Terra Otricoli vel habitatoris eiusdem si inventor ut supra habuerit unum idoneum Testem qui (recognoscat cum ipso inventore Animalia vel Personam tunc non debeat ducere ad Curiam Animalia, neque Personam, sed omnia referat Curie Potestatis cum Iuramento, et nominatione dicti Testis exprendo explicite Animalia, et Personam Locum tempus, et si inventor ut supra in Casu sibi permisso duxerit Animalia, et aliquis impedierit eum incidat in penam contentam in Capitulo de impedientibus Officialem; Sed si Persona damnum dans vel Animalia erunt Forensium omni casu possit Inventor ducere ad Curiam Potestatis.

De modo procedendi per Inquisitione Cap. VIJ.

Quia ut plurimum damnum passus ignorat à quibus Personis vel alicuius Animalibus damnum in suis bonis datum fuerit Propterea ut eius indemnitati consulatur statuendum duximus ut etiam per Inquisitionem procedi possit in damnis datis infrascripto tamen modo videlicet ut ille qui asserit damnum in suis bonis fuisse illatum possit infra spatium viginti dierum à die dati damni computand. accedere ad Potestatem et petere ut contra eos qui damnum dederunt in suis bonis formetur inquisitio in scriptis, et Potestas teneatur ad eius Instan=

Instantiam formare inquisitionem et in eius formatione describere, et annotare diem formatę inquisitionis, ad cu=
ius instantiam et de quo damno formata sit an de damno
dato personaliter vel cum bestijs, et nomina Testium quos
damnum passus ei subministraverit seu crediderit de dam=
no informatos quos Testes vel eorum aliquem statim
Potestas ad damnum passi instantiam absque aliqua
solutione mercedis examinare debeat, et diligenter de
damno prefato perquirere, et illos interrogare de loco tem=
pore et contestibus, et si per unum idoneum Testem de
visu qui non sit minor quindecim annorum probatum
fuerit quis fuerit damnum dans vel eius fuerint ani=
malia damnum dantia, tunc Potestas debeat illum citare
peremptorie ut compareat intra tres dies ad videndum
se condemnari pro damno dato in bonis in inquisitione con=
tentis. Qui si comparuerit, et negaverit tunc Potestas
debeat assignare terminum quinque dierum ad concludenter
probandum et se defendendum si aut exceperit quod non
ipse solus vel eius Animalia tantum sed alij quoque
ab eo nominati vel aliorum animalia damnum dederint
et propterea petat sibi contra eosdem inquisitionem
prefatam concedi tunc concedatur ei inquisitio; Et Po=
testas statim ad eius instantiam inquirat contra alios
qui pretenduntur damnum dedisse. Quod si per talem
inquisitionem infra octo dies à Potestate perficienda
nihil fuerit concludenter probatum vel ipse citatus fu=
erit contumax, tunc Potestas condemnet eum ad penam
et emendationem totius damni, et immediate ad eas in=

incidisse in aliquã penam realem et ad realem executionem deueniat, liceat tamen illi ad cuius instantiam formatur inquisitio ab ea nominatim excipere duas Personas, et declarare quod si ille vel earum bestie reperte fuerint damnum dedisse non intendit eas incidisse in aliquam penam.

De Intimatione a Potestate facienda Dnis Animalium Inuentorum uel accusatis de damnis datis Cap. VIII.

Statuimus et Ordinamus quod Potestas Terre Otricoli teneatur intimare, vel intimari facere infra spatium trium dierum omnibus damnum dantibus inuentionem et accusationem contra eos porrectam respectiue hoc modo videlicet = Quando inventa sunt Animalia infra tres dies à die inventionis quando accusata à die accusationis porrecte numerare.

De modo procedendi per accusationem Cap. IX.

Si damnum passus infra terminum quindecim dierum à die damni dati uoluerit unam seu plures Personas personaliter damnum dantes aut Animalia damnum dantia accusare, accedat ad Potestatem, et absque aliqua

aliqua Libelli, et petitionis solemnitate describi
faciat apud acta eius accusationem exprimendo
Personam damnum dantem, vel Animalia, quę dam=
num dederunt, Locum, tempus damni dati, et nomen
unius Testis ad minus cui cum Iuramento ipsius Ac=
cusatoris credatur si deposuerit de visu quoad penā,
quovero ad refectionem damni credatur ęstimationi
Ęstimatorum Communis. Si uero Accusator non
docuerit de damno et de damnum dantibus, condem=
netur Ipse ad expensas et interesse Accusati et quod
statim pro condemnatis fiat executio. Si vero penden=
te Iudicio accusationis partes se concordaverint
solvat Accusatus dimidiam partem pœnę inquam ve=
niret condemnandus si damnum fuisset probatum, et sen=
sentiatum. Sed ille contra quem fuit prefato modo probata
accusatio possit infra tres dies si voluerit per duos Testes
probare contrarium; Si vero accusatus post factas pre=
fato modo contra eum probationes nominaverit alios, vel
dixerit alium vel alterius Animalia damnum commisis=
se tunc non audiatur nisi prius solverit æstimationem
damni, et penam. Post vero factam solutionem de prefa=
tis si talis condemnatus solvens voluerit postea contra
alios agere, et sue indemnitati consulere possit contra eos
et cessio ei fieri debeat à Domino damnum passo cui sa=
tisfactum fuerit, et hoc infra decem dies à die facte
ab eo solutionis computan.

Liber

De Iis quibus licitum est accusationem de damno dato proponere

Cap. X.

Statuimus et Ordinamus quod eorum omnium recipiatur accusatio de damno dato, quorum interest, non autem eorum quorum nihil aut parum interesse poterit.

De Ordine Seruando in Satisfactione pænæ uel emendæ á damnum dantibus

Cap. XI.

In Solutione vel satisfactione damnorum datorum tam personaliter quam cum Bestijs, modus servari debeat infrascriptus, videlicet, ut inprimis Potestas curare debeat ut damnum passo satisfiat de estimatione seu valore damni dati ut supra estimati deinde procedat ad solutionem pene imposite á Statutis.

De Æstimatoribus Communis

Cap. XII.

Ut uia Litibus et differentijs que in damnis datis et illorum estimatione oriri possent quantum fieri potest precludatur, statuimus, et ordinamus quod tempore con-

confectionis Bussole Officialium eligi debeant ab Imbussolatoribus Sex vel Octo Viri qui ad dictum Officium fuerint magis idonei iudicati, quorum duo quolibet anno extrahantur sorte quando extrahuntur alij Officiales, et isti appellentur Æstimatores Communis, qui in ingressu eorum Officij iurare debeant in manibus Dominorum Priorum quod dictum Officium ipsis commissum fideliter exercebunt, remotis ab eis omni et quocumque odio timore, affectione, parentela, vel pretio aliquo et huiusmodi Iuramentum annotari debeat per Cancellarium in libris Communitatis.

De Officio Æstimatorum Com̄unis
Cap. XIII.

Ad Officium Æstimatorum Communis Terre Otricoli spectet et pertineat accedere ambo simul ad Partis vel Potestatis vel Priorum Instantiam et non alias ad inspiciendum et estimandum quecumque damna data et commissa tam personaliter quam cum Bestijs in quibusvis Locis, tam in Terra Otricoli et eius Suburbio quam in eius toto Territorio et damnum diligenter videre, et estimare et relationem apud acta Potestatis ad prefatorum Instantiam

facere

facere, in qua apponi et inscribi faciant dam=
num datum personaliter vel cum Bestijs
a quantis diebus citra indicent esse datum et
quantitatem damni et eius estimationem et va=
lorem et dicti Estimatores debeant habere
pro eorum salario pro qualibet visione loci
et damni estimatione et relatione ad partis In=
stantiam factis in totum pro ambobus bolenenos
quatuor, exceptis visionibus quas ad Instanti=
am Priorum facient pro rebus Communis pro
quibus gratis accedere et estimare debeant
et ad Syndicatum sicut alij Officiales Ter=
re Ocricoli in fine eorum Officij sistere
debeant

De reclamatione aduersus relati=
onem Æstimatorum Comunis
Cap. XIV.

Statuimus et Ordinamus quod ab Æstimatio=
ne et relatione Estimatorum Comunis de damno
dato personaliter vel cum Bestijs non excedente
Summam uiginti Iuliorum damnum dans vel Domi=
nus Animalium damnum dantium non audiatur Ap=
pellans seu Reclamans. A Summa vero viginti Iuliorum
usque ad Summam Triginta Iuliorum reclamare
possit facto actuali deposito de dicta quantitate
apud

apud Camerarium Communitatis. Ab inde vero
supra usque ad quamcumque Summam possit simi=
liter reclamare absque depositione quantitatis esti=
mate dumodo det Cautionem in forma depositi; Et in
casibus in quibus datur reclamatio eligi debeant duo
alij Periti ex officio Potestatis, nisi Partes Ipse elege=
rint de consensu, qui in termino quatuor dierum à
die electionis eorumdem ire debeant ad revidendum
damnum prefatum cum uno ex Æstimatoribus Commu=
nis et relationem de omnibus ut supra facère, et re=
lationi duorum ex ipsis tribus si tres non fuerint con=
cordes stari debeat, et ab istorum revisione non possit
aliquo modo ulterius appellari, sed omnis alia recursio
denegetur et damnum dans, vel Dominus Animalium
teneatur damnum passo solvère estimationem dam=
ni ab Estimatoribus declaratam, et ulterius etiam
expensas pro huiusmodi estimatione seu recisione
factas.

De damnis datis personaliter in Vineis = uel alijs possessionibus fructiferis re== clusis, et fossis uel Sepe circumdatis

Cap: XV.

Quia in damnis datis personaliter dolus versari videtur
propterea statuimus et ordinamus, quod qualiscumque 16
Persona fuerit, sive Masculus, sive Femina que damna
de=

dederit in Vineis in Arbustis seu ut vulgo dicitur Arboreti vel alijs possessionibus reclusis et fossis vel sepe circumdatis, colligendo quantitatem Vuarum vel aliorum fructuum valoris unius bolenini incidat in penam Juliorum trium pro qualibet vice et Persona; Si vero Vuas vel alios fructus in Locis prefatis ut supra collegerit et abstulerit cum Canistro vel Pera, incidat in penam Juliorum decem pro qualibet vice et Persona; Si vero Vuas, vel fructus ut supra collegerit in magna quantitate et secum duxerit Jumentum vel Animal onustum Cistis, uel Bigonzis vel Sacco, tunc incidat in penam trium Scutorum pro qualibet vice et Salma et Persona, Et nihilominus torqueatur tribus ictibus funis in loco publico et in omnibus prefatis casibus emendationem, et damni estimationem damnum passo solvere teneatur.

De damnis datis personaliter per Incisionem cuiuscumque Arboris fructiferi uel fractæ in possessionibus uineatis, uel arboratis, fossis uel Sepibus clausis

Cap. XV.

Statuimus et Ordinamus quod quecumque Persona inciserit Vites in alienis Vineis, vel Possessi-

Possessionibus pro qualibet Vite per eum inci=
sa teneatur solvere nomine pene Julios quin=
que et si inciserit Vites ultra numerum decem ultra
penam prefatam debeat fustigari per totam Terram
Otricoli; Incidens vero pergolam seu arbores super
quibus erant collocate Vites vel alias arbores fructi=
feras incidat in penam Juliorum viginti pro qua=
libet arbore et Persona incidente. Incidens vero
Arbores insitatas vel illas excavans et auferens
vel alias arbores fructiferas in supradictis Locis
existentes incidat in penam Juliorum quindecim.
Incidens fractas incidat in penam unius Ducati. In=
cidens vero in totum arbores non fructiferas in lo=
cis prefatis ut supra, ut puta Ulmos vel Salices
et huiusmodi super quibus Vites collocate non
sunt incidat in penam duorum Juliorum si in totum
et ut uulgo dicitur dal pedicone inciserit si vero
inciserit ramos pro Bobus vel alias incidat in
penam quinque bolenorum: Et omni Casu damnum
Domino cum tertia parte pluris Loco interesse sol=
uere teneatur

De Damnis datis personaliter in Siluis

Cap. XVII.

Item Statuimus et Ordinamus quod si aliqua
Persona inciserit vel incidi fecerit uel combus=
serit in totum, vel ut uulgo dicitur dal Pedicone
aliquam Quercum in Selvis uel in aliis locis
existentem, et ad effectum Glandium vel ligna=

Signaminis vel alias reservatam incidat in penam duorum ducatorum pro qualibet Quercu et ad duplicem valorem dicte Quercus Domino solue=re teneatur pro emenda; Si vero non incise=rit in totum sed aliquem Ramum, incidat in pe=nam trium Juliorum et dupplum valoris dicti rami solvere teneatur pro emenda. Si vero inci=serit Querculas et ut uulgo dicitur Cergui=gliozze incidat in penam unius Ducati pro quo=libet Cerguigliozzo et similiter duplum Valo=ris restituere teneatur.

De Eodem
Cap. XVIII.

Item qui damnum dederit colligendo Glandes in Silvis uel Quercubus seu Querguetis et secum portaverit solvat nomine pene pro quoli=bet Scorzo sicut uulgo dicitur in dicta Serra pro quolibet Sedicano iulios tres ultra damni estimationem Domino.

De damnis datis personaliter in Oliuetis
Cap. XIX.

In Oliuetis autem damnum dans personaliter incidendo, comburendo, vel extirpando et radi=citus euellendo aliquam arborem Olivarum in totum incidat in penam Scutorum trium

pro

